



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Liber X. Ostendit, quibus ad Dei cognitionem gradibus conscenderit, eum inveniri in memoria, cujus mirabilem vim luculenter describit; in Deo sole esse veram beatitudinem, quam omnes appetunt, etsi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## LIBER X.

Ostendit, quibus ad Dei cognitionem gradibus conscenderit; eum inveniri in memoria, cuius mirabilem vim luculenter describit; in Deo solo esse veram beatitudinem, quam omnes appetunt, etsi non omnes legitimis eam quærant mediis. Tum statum præsentem animi sui aperit, & languores triplicis concupiscentiæ.

## CAP. I.

*In sola spe gratiæ divinæ gaudendum.*



Ognoscam te Domine cognitor meus, cognoscam te, sicut à te cognitus sum. Virtus animæ meæ intra in eam, & coapta tibi, ut habeas & possideas sine macula & ruga. Hæc est mea spes, ideo loquor & in ea spe gaudeo, quando sane gaudeo. Cætera vero vitæ hujus tanto minus flenda, quanto magis fletur, & tanto magis flenda, quanto minus fletur in eis. *Ecce enim veritatem dilexisti!* quoniam qui Psal. 50. 3. facit eam, venit ad lucem. Volo eam facere in corde meo, coram te in confessione, in stylo autem meo coram multis testibus.

V S V S.

Sola spes bonæ conscientiæ sperantis se esse sine macula peccati mortalis, verum gaudium parit. Res vero aliæ, cum ad salutem nihil sine gratia Dei conferant, nec gaudium afferre possunt solidum, cum habentur, nec dolorem debent, cum amittuntur.

## C A P. II.

*Deo nihil esse occultum, ei se confiteri, ut erubescat de se, & abjiciat se, illum vero eligat.*

1. **E**T tibi quidem Domine, cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? a Te enim mihi absconderem, non me tibi. Nunc autem, quod gemitus meus testis est, displicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & desideraris, ut erubescam de me, & abjiciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam, nisi de te.

2. Tibi ergo Domine manifestus sum, quicumque sim, & quo fructu tibi confitear, dixi. Neque enim id ago verbis carnis & vocibus, sed verbis animæ & clamore cogitationis, quem novit auris tua. Cum enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quam displicere mihi. Cum vero pius, nihil est aliud confiteri tibi, quam hoc non tribuere mihi: quoniam tu Domine benedicis justum sed prius eum justificas impium. Confessio itaque mea Deus meus in conspectu tuo tibi tacite fit, & non tacite;  
tacet

tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non à me tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audis à me, quod non prius mihi tu dixeris.

## N O T Æ.

a *Te enim mihi absconderem, non me tibi) qui peccata sua Deo occultare conatur, intellectum suum obscurat, ne Deum cognoscere, & gratia ejus illustrari possit, quare sibi Deum, non se Deo abscondit.*

## V S V S.

Solidæ humilitatis principium hoc est; *in malis sibi displicere tanquam suis, in bonis Deo gratias agere, tanquam alienis quia ab ipso est omne bonum nostrum. Valdeque cavendum est, ne qui in virtute proficit, sibi de profectu vane placeat.*

## C A P. III.

*Confessum se coram hominibus, quis fuerit, & præterita mala sua, ut infirmi excitentur ad spem misericordiæ.*

1. a **Q**uid mihi ergo est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire, qui sim, qui nolunt à te audire, qui sint? Et unde sciunt, cum à meipso de meipso audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo scit *hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Si autem à te audiant de seipsis, non poterunt dicere: mentitur domi-

1 Cor. 2,  
11.

minus. Quid est enim à te audire de se, nisi cognoscere se? Quis porro cognoscit, & dicit: falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed quia  
 1 Cor. 13. *caritas omnia credit*, inter eos utique, quos  
 7. connexos sibimet unum facit, ego quoque Domine etiam sic tibi confiteor: ut audiant homines, quibus demonstrare non possum, an vera confitear: sed credunt mihi, quorum mihi aures caritas aperit.

2. Veruntamen tu medice meus intime, quo fructu ista faciam, eliqua mihi. Nam confessiones præteritorum malorum meorum, quæ remisisti & texisti, ut beares me in te, mutans animam meam fide & sacramento tuo: cum leguntur & audiuntur, excitant cor, ne dormiat in desperatione, & dicat, non possum: sed evigilet in amore misericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. Et delectat bonos audire præterita mala eorum, qui jam carent eis: nec ideo delectat, quia mala sunt, sed quia fuerunt, & non sunt.

3. Quo itaque fructu Domine Deus meus, cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiæ tuæ securior, quam innocentia sua, quo fructu quæso, etiam hominibus coram te confiteor per has literas, adhuc quis ego sim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi, & commemoravi. Sed quis adhuc sim, ecce in ipso tempore confessionum mearum, & multi hoc nosse cupiunt, qui me noverunt, & non me noverunt: qui ex me, vel de me aliquid audierunt, sed auris eorum, non ad cor meum, ubi ego sum, quicumque sum. Volunt ergo audi-

audi-

audire confitentem me, quid ipse intus sim, quo nec oculum, nec aurem, nec mentem possunt intendere, credituri tamen volunt, nunquid cognituri? Dicit enim eis caritas, qua boni sunt, non mentiri me de me confitentem, & ipsa in eis credit mihi.

## N O T Æ.

2. *Quid mihi ergo est cum hominibus &c.*) hæc verba citat Brentius in Confessione Wirtebergenfi, contra Confessionem Sacramentalem Catholicorum, quasi senserit S. D. per eam non posse sanari languores peccatorum. Sed hoc est simplicibus imponere, non enim loquitur S. D. in his libris, ut omnes norunt, de Confessione peccatorum post baptismum commissorum, quæ necessaria est ad salutem, secundum veram & Catholicam ipsius Augustini sententiam, sed de Confessione voluntaria peccatorum, quæ ante Baptismum commissa, & per illum dimissa sunt. Hanc S. D. confessionem publice fecit in his libris, ut infirmi suo exemplo excitarentur ad spem misericordiæ. Quod si quasdam culpas post baptismum à se patrari solitas recenset, eæ levissimæ sunt & veniales: quibus expiandis etsi Sacramentum Confessionis conducatur, non est tamen necessarium.

## V S V S.

1. Est caritatis Christianæ, non facile suspicari subesse falsum dictis aliorum, quos semper præstat æstimare bonos esse, adeoque & veraces, quam malos & mendaces. Plus enim placet Deo pia credulitas, quam proferat temeraria de aliis suspicio.
2. Qui gravibus peccatis obnoxii sunt, aut magnam in superandis vitiis difficultatem sentiunt, legant Confessiones Augustini, & cognitis gravissimis ejus peccatis, in quibus ab ipsa pueritia usque ad trigesimum annum pertinaciter hæsit, concipiant & ipsi spem veniæ. Nec dicant non possum, potuit Augustinus cum divina gratia, poteris & tu, modo intelligas, te non posse per te.

C A P.

## CAP. IV.

*Confiteri se quoque quis jam sit, ut servi Dei fratres sui, respirent in bonis suis, suspirent in malis suis, Deumque pro se laudent ac orent.*

1. **S**ed quo fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt, cum audierint, quantum ad te accedam munere tuo, & orare pro me, cum audierint, quantum retarder pondere meo? Indicabo me talibus. Non enim parvus est fructus Deus meus, ut à multis tibi gratiæ agantur de nobis, & à multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus, quod amandum doces, & doleat in me, quod dolendum doces. Animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non filiorum alienorum, *quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis*: sed fraternus ille, qui cum approbat me, gaudet de me. Cum autem improbat me, contristatur pro me, quia sive approbet me, sive improbet, diligit me. Indicabo me talibus: respirent in bonis meis, suspirent in malis meis. Bona mea, instituta tua sunt, & dona tua: a mala mea, delicta mea sunt, & judicia tua. Respirent in illis, suspirent in his. Et hymnus & fletus ascendant in conspectum tuum, de fraternis cordibus *b thuribulis tuis.*

2. Tu autem Domine delectatus odore *Pfal. 50, 2.* sancti templi tui, *miserere mei secundum magnam misericordiam tuam*, propter nomen tuum, & nequaquam deserens cœpta tua, consumma *im-*

imperfecta mea. Hic est fructus confessionum mearum, non qualis fuerim, sed qualis sim, ut hoc confitear, non tantum coram te secreta exultatione cum tremore, & secreto mœrore cum spe: sed etiam in auribus credentium filiorum hominum & sociorum gaudii mei, & consortium mortalitatis meæ, civium meorum, & mecum peregrinorum, præcedentium, & consequentium, & comitum vitæ meæ.

3. Hi sunt servi tui fratres mei, quos filios tuos esse voluisti, dominos meos & quibus iussisti, ut serviam, si volo tecum de te vivere. Et hoc mihi Verbum tuum parum erat, si loquendo præciperet, nisi & faciendo præiret. Et ego id ago factis & dictis, id ago sub alis tuis, nimis cum ingenti periculo: nisi quia sub alis tuis tibi subdita est anima mea, & infirmitas mea tibi nota est. Parvulus sum, sed vivit semper pater meus, & idoneus est mihi tutor meus. Idem ipse est enim, qui genuit me, & tuetur me, & tu ipse es omnia bona mea, tu omnipotens, qui mecum es, & priusquam tecum sim. Indicabo ergo talibus, qualibus jubes, ut serviam, non quis fuerim, sed quis jam sim, & quis adhuc sim. Sed neque meipsum dijudico. Sic itaque audiat.

## NOTÆ.

a *Mala mea delicta mea sunt, & iudicia tua*) quia Deus iusto iudicio etiam amicos suos & filios permittit cadere *septies*, hæc enim infirmitas pars pœnæ est filiorum Adam, & simul humilitatis admonitio ac exercitatio. Prov. 24.  
16.

b *Thuribus tuis*) pulchre corda iustorum appellat Dei thuribula; in his enim adolentur Deo pii affectus bonæ voluntatis.

c *Qui*



Luc. 22. c. *Quibus iussisti, ut serviam*) Memor fuit S. D. in  
26. Episcopatu illius præcepti, qui major est in vobis,  
fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator,  
ideoque non imperabat, sed ministrabat Clericis  
& Civibus suis Hipponensibus, quibus præerat.

## V S V S.

1. Confiteri aliis bona sua aut mala, ad Dei glo-  
riam, & proximi utilitatem, laudabile est, & à  
S. D. præmonstratum; qui fructum sperat, idem  
facere poterit, prout res feret.
- 1 Pet. 3. 2. Discant Episcopi exemplo S. D. non dominari  
2. in cleris, sed ministrare, & periculum officii sui  
sæpe expendant.

## C A P. V.

*Deum nosse omnia, quæ sunt in homine,  
eum violari non posse, id se scire: de se au-  
tem nescire, quibus tentationibus valent  
resistere.*

1. **T**V enim Domine dijudicas me, quia  
1 Cor. 2. *et si nemo scit hominum; quæ sunt hominis,*  
21. *nisi spiritus hominis, qui in ipso est, a tamen est*  
*aliquid hominis, quod nec ipse scit spiritus*  
*hominis, qui in ipso est. Tu autem scis ejus*  
*omnia, qui fecisti eum. Ego vero quamvis*  
*præ tuo conspectu me despiciam, & æsti-*  
*mem me terram & cinerem, tamen aliquid*  
1 Cor. 13. *de te scio, quod de me nescio. Et certe nunc*  
22. *videmus per speculum in anigmate, nondum facie*  
*ad faciem. Et ideo quamdiu peregrinor abs*  
*te, b mihi sum præsentior quam tibi: & ta-*  
*men te novi nullo modo posse violari. Ego*  
*vero quibus tentationibus resistere valeam,*  
*quibusve non valeam, nescio.*

2. Et

2. Et spes est, quia *fidelis es, qui nos non finis* 1 Cor. 10, tentari supra, quam possumus ferre, sed facis cum tentatione etiam exitum, ut possumus sustinere. Confitear ergo, quid de me sciam: confitear, & quid de me nesciam. Quoniam, & quod de me scio, te mihi lucente scio, & quod de me nescio, tamdiu nescio, donec fiant tenebræ meæ, sicut meridies in vultu tuo.

## N O T Æ.

- a *Tamen est aliquid hominis*) Hoc est, quod nescit homo, an odio vel amore dignus sit, sive utrum sit in statu damnationis vel gratiæ. Imo nec cogitationes & affectus suos novit, inde scrupuli, & perplexitas in rebus plurimis, an hoc sit factum vel cogitatum, quo animo, quo fine, qua deliberatione. Quæ omnia Deus in numerato habet, non minus quam capillos capitis. Eccl. 9. 5.
- b *Mihi sum presentior quam tibi*) quoad cognitionem & attentionem; nobis enim utcunque per experimentalem notitiam noti sumus, & ipso amore nostri urgemur in frequentem nostri cogitationem. Deus autem puritate sua, phantasmata corporea quibus utimur in hac vita terrenosque affectus longe transcendit, ideoque obscure solum, & raro de illo cogitamus.

## V S V S.

Tristis illa est ignorantia & merito affligit, quod nesciamus, an perseverantiæ dono Deus nos bearit, adversus omnia tentationum genera. Sed pugnemus alacriter, fidelis est Deus.

Q

CAR.

## CAP. VI.

*Certa conscientia Deum à se amari, dulcem supra omne id, quod est sensibile, de eo sibi creaturas corporeas usque ad meliorem iis animam, respondisse singulas: Non sum Deus, idemque respondere omnibus recte judicantibus.*

1. <sup>a</sup> **N**on dubia, sed certa conscientia, Domine amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te. <sup>b</sup> Sed & cælum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem! nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum & terra, <sup>c</sup> surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, non candorem lucis ecce istis amicum oculis! non dulces melodias cantilenarum omnimodarum; non florum & unguentorum & aromatum suaveolentiam, non manna & mella; non membra acceptabilia carnis amplexibus.

2. Non hæc amo, cum amo Deum meum, & tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quandam odorem, & quandam cibum, & quandam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei: ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus; & ubi sonat, quod non rapit tempus; & ubi olet, quod non spargit flatus, & ubi  
fa-

scapit, quod non minuit edacitas; & ubi hæret, quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogavi terram, & dixit: Non sum, & quæcunque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare, & abyssos, & reptilia animarum vivarum, & responderunt: Non sumus Deus tuus, quare super nos. Interrogavi auras flabiles, & inquit universus aër cum incolis suis: *d* fallitur Anaximenes, non sum Deus. Interrogavi coelum, solem, lunam & stellas, neque nos sumus Deus, quem quæris, inquirunt.

3. Et dixi omnibus his, quæ circumstant fores carnis meæ: Dixistis mihi de Deo meo, quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid. Ex exclamaverunt voce magna; Ipse fecit nos. *e* interrogatio mea, intentio mea, & *f* responsio eorum, species eorum. Et direxi me ad me, & dixi mihi: Tu quis es? Et respondi, Homo. Et ecce corpus & anima in me mihi præsto sunt, unum exterius & alterum interius! Quid horum est, unde quærere debui Deum meum, quem jam quæsiveram per corpus, à terra usque ad cœlum, quousque potui mittere nuncios radios oculorum meorum? Sed *g* melius, quod interius est. Ei quippe renuntiabant omnes nuntii corporales, præfidenti & judicanti de singulis responsionibus cœli, & terræ, & omnium, quæ in eis sunt, dicentium: Non sumus Deus, sed ipse fecit nos. Homo interior cognovit hæc, per exterioris ministerium. Ego interior cognovi hæc, ego animus per sensus corporis mei.

4. Interrogavi mundi molem de Deo meo,

Q 2

meo,

Rom. 1.  
20.

meo, & respondit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit. Nonne omnibus, quibus integer sensus est, apparet hæc species? Cur non omnibus eadem loquitur? Animalia pusilla & magna vident eam, sed interrogare nequeunt. Non enim præposita est in eis nuntiantibus sensibus iudex ratio. Homines autem possunt interrogare, ut *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciant*. Sed amore subduntur eis, & *h* subditi iudicare non possunt. Nec respondent illa interrogantibus, nisi iudicantibus, nec vocem suam mutant, id est, speciem suam: si alius tantum videat, alius autem videns interroget, ut aliter illi appareat, aliter huic: sed eodem modo utrique apparens, illi muta est, huic loquitur. Imo vero omnibus loquitur, sed illi intelligunt, qui vocem acceptam foris, intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi: Non est Deus tuus cælum & terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorū natura videnti. Moles minor est in parte, quam in toto. Iam tu melior es, tibi dico anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori, Deus autem tuus etiam tibi, vitæ vita est.

## N O T Æ.

1 Cor. 4. 4.

1. 3. de ju-  
Al. c. 3. &  
seq.

*a* Non dubia sed certa conscientia amo te ) intelligit S. D. certitudinem moralem, sive conjecturalem, qualem quis habere se confidit, si nullius peccati mortalis sibi conscius sit, cum quo stare potest aliquis timor, juxta illud S. Pauli, *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum*. Certitudo enim fidei de gratia & caritate Dei, à Catholicis rejicitur secundū Scripturas, & SS. PP. ipsumque Augustinum, & pertinet ad errores Sectariorum, quos optime refutat Bellarm.

*b* sed

- b *Sed & calum, & terra) nam non sine testimonio se-* Actor. 14.  
*metipsum reliquit, benefaciens de calo, dans pluvias &* 16.  
*tempora fructifera, implens cibo & latitia corda eorum.* l. 2. de  
 Cælum ergo, ut cum S. Prospero loquar, *cuncta-* vocat.  
*que caelestia, mare & terra, omniaque, qua in eis sunt,* gent. c. 4.  
*consono speciei sua, ordinationisque consensu protestan-*  
*tur gloriam Dei, & prädicatione perpetua, majestatem &*  
*bonitatem sui loquuntur auctoris, omnesque ad grati-*  
*tudinem & amorem ejus incitant.*
- c *Surdis loquuntur; quia sine gratia Dei efficaci cre-*  
*aturarum vocibus nemo attendit: etsi omnes*  
*possent attendere, si vellent, ideoque sint inex-*  
*cusabiles.*
- d *Fallitur Anaximenes) qui teste Cicerone Aëra* 1. de nat.  
*Deum statuit, eumque gigni, esse immensum, & infi-* Deorum.  
*nitum, & semper in motu: sidera autem, Saëmque &*  
*Lunam de terra nata esse, opinabatur, de quo S. D. l. 8 de*  
*alibi memorat eum docuisse Deos ex aëre ortos.* civ. c. 2.
- e *Interrogatio mea, intentio mea) sive attentio & con-*  
*sideratio, qua intellectus examinat & contem-*  
*platur creaturarum speciem, ordinem, modum.*
- f *Responsio eorum, species eorum) sive natura finita,*  
*quæ particulam tantum boni habet, nec ita bona*  
*est, ut non sit aliud majus bonum. Hanc suam*  
*limitatam bonitatem, dum creaturæ intellectu*  
*eas consideranti, objiciunt, una voce respondent:*  
*non sumus Deus, qui est omne bonum, & quo nullum*  
*est majus bonum.*
- g *Melius, quod interius est,) mens enim hominis &*  
*ipsa sensuum objecta cognoscit, & de sensibus*  
*rebusque sensibilibus judicat; longe ergo præstat*  
*sensibus, qui singuli nec tam multa cognoscunt,*  
*nec judicare possunt.*
- h *Ei subditi judicare non possunt) judicio sufficiente*  
*ad amandum Deum, etsi sufficiat ad eum cogno-*  
*scendum & quærendum, ideoque ad culpam.*  
*Nam etsi amor inordinatus creaturarum, quo*  
*homo illis se subjicit, liget affectum, ne assurgat*  
*in Deum: non ita tamen obscurat intellectum,*  
*ut non videat Deum esse quærendum & aman-*  
*dum, quod quia non fecerunt Philosophi, ideo*  
*sunt inexcusabiles, & evanuerunt in cogitationibus suis.*
- i *Intus cum veritate conferunt) hoc est cum lumine*  
*vultus divini, quod signatum est super nos, sive*  
*cum principiis & veritatibus, nobis naturaliter*

manifestis, quale est illud : *Omne corporeum minus est in parte, quam in toto* : melior ergo est anima, quæ tota vegetat totum corpus, & tota quamvis partem illius : & melior est corpore & anima Deus qui est vita animæ, & omnium viventium, amandus ergo supra omnia corpora, & ipsam animam. Quia & hoc natura dicitur, ut *majus bonum ametur supra minus bonum, & summum bonum, supra omne bonum finitum*. Qui secundum hæc principia creaturas non examinant, illas non intelligunt nec capiunt, ideoque capiuntur amore illarum inordinato & illicito.

## V S V S.

V.S. Tho.  
in c. 1. ad  
Rom. S.  
Dionys.  
c. 1. de div.  
nom.

- I. Duplex est modus bonitatem & immensitatem Dei cognoscendi ex creaturis. Vnus per viam *Affirmationis & excellentie*, cum omnes creaturarum perfectiones Deo tribuuntur, quia multo perfectius sunt in illo, quam in ipsis. Alter per viam *negationis & remotionis*, cum enim Deus infinite creaturas superet, nulla earum perfectio ob suam limitationem, & adjunctam imperfectiorem ei proprie convenit, hinc recte à S. Gregor. Nazianz. appellatur *innominabilis & omnino minus*. Etsi enim plurimis nominibus appellatur, nullum tamen nomen, nulla conceptio illius perfectionem ullam exprimit, prout est in se ipsa, quia non possumus concipere nisi perfectiones finitas, quales experimur in creaturis. Vtroque modo S.D. hic docet ex creaturis sensibilibus investigare Deum. I. Per *Negationes*, dicendo non esse corpus, non lucem, non odorem, non melodiam, &c. non aliud quid sensibus suave. II. Per viam *Affirmationis*, dicendo illum esse hæc omnia, sed remotis imperfectiorem, quas pulchre & apposite ad affectum explicat.
2. Utilem hoc caput subministrat meditationem ad amorem Dei ex creaturis inflammandum, ipsarumque creaturarum, quæ tam longe à creatore distant, contemptum.

## CAP. VII.

*Nec vegetativa, nec sensitiva anima vi Deum inveniri, cum utraque brutis sit communis.*

I. **Q**uid ergo amo, cum Deum meum amo? Quis est ille, super caput animæ meæ? Per ipsam animam meam, ascendam ad illum. Transibo vim meam, qua hæreo corpori, & vitaliter compagem ejus repleo. Non ea vi reperio Deum meum, nam reperiret equus & mulus, quibus non est intellectus, & est eadem vis, qua vivunt etiam eorum corpora. Psal. 31. 9.

2. Est alia vis, non solum, qua vivifico sed etiam qua sensifico carnem meam, quã mihi fabricavit Dominus, jubens oculo, ut non audiat, & auri, ut non videat: sed illi, per quem videam, huic, per quam audiam, & propria sigillatim cæteris sensibus, sedibus suis & officiis suis, quæ diversa per eos ago unus ego animus. Transibo & istam vim meam. Nam & hanc habet equus & mulus, sentiunt enim etiam ipsi per corpus.

## V S V S.

Recenset S. D. quomodo Deum non inventum in rebus corporeis, quæ siverit in anima sua, & per illam. I. Quidem ait, se illum non invenisse vi vegetante. II. Nec per vim sentientem, neque enim istæ facultates assurgunt, ultra res corporeas & sensibiles, nobis cum brutis communes. Imitemur S. D. & sensibilibus relictis, ratione duce Deum quæramus.

Q 4 CAP.



## C. A. P. VIII.

*Ascendisse se in memoriam suam plenissimam miraculorum, quorum primum est, omnium rerum sensibilibus imagines, sine rebus ipsis, sine confusione, illa contineri, & cum aliquid cogitandum est, in promptu esse.*

1. **T**Ransibo ergo, & istam vim naturæ meæ, gradibus ascendens ad eum, qui fecit me cum ea, & venio in campos & lata prætoria memoriæ meæ: ubi sunt thesauri innumerabilium imaginum, de hujuscemodi rebus sensis inventarum. Ibi reconditum est, quicquid etiam cogitamus, & vel augendo, vel minuendo, vel utcumque variando ea, quæ sensus attigerit: & si quid aliud commendatum & repositum est, quod nondum absorbit & sepelivit oblivio. Ibi quando sum, posco, ut proferatur quicquid volo, & quædam statim prodeunt, quædam requiruntur diutius, & tanquam de abstrusioribus quibusdam receptaculis eruuntur, quædam catervatim se prouunt, & dum aliud petitur, & queritur, profiliunt in medium quasi dicentia: Ne forte nos sumus? Et abigo ea manu cordis, à facie recordationis meæ: donec enubiletur illud, quod volo, atque in conspectum prodeat ex abditis. Alia faciliter atque imperturbata serie, sicut poscuntur, suggeruntur, & cedunt præcedentia consequentibus, & cedendo conduntur, iterum, cum voluero, processura. Quod totum fit, cum aliquid narro memoriter.

2. Ibi

2. Ibi sunt omnia distincte generatimque servata, quæ suo quæque aditu ingesta sunt, sicut lux, atque omnes colores, formæque corporum per oculos: per aures autem, omnia genera sonorum: omnesque odores, per aditum narium: omnesque sâpores, per oris aditum: ad sensum autem totius corporis quid durum, quid molle, quid calidum, frigidumve, lene aut asperum, grave seu leve, sive extrinsecus sive intrinsecus corpori. Hæc omnia recipit recolenda, cum opus est, & retractanda grandis memoriæ recessus. Et nescio, qui secreti atque ineffabiles sinus ejus, quæ omnia suis quæque foribus intrant ad eam, & reponuntur in ea. *b* Nec ipsa tamen intrant, sed rerum sensarum imagines illic præsto sunt, cogitationi reminiscenti eas.

3. Quæ quomodo fabricatæ sint, quis dicit, cum appareat, quibus sensibus raptæ sint, interiusque reconditæ? Nam & in tenebris atque in silentio dum habito, in memoria mea profero, si volo, colores: & discerno inter album & nigrum, & inter quos alios volo. Nec incurrunt soni atque perturbant, quod per oculos haustum considero, cum & ipsi ibi sint, & quasi seorsum repositi lateant. Nam & ipsos posco, si placet, atque adsunt illico. Et quiescente lingua ac silente gutture, canto quantum volo: imaginesque illæ colorum, qui nihilominus ibi sunt, non se interponunt, neque interrumpunt, cum thesaurus alius retractatur, qui influxit ab auribus. Ita cætera, quæ per sensus cæteros ingesta atque congesta sunt, recordor, prout libet. Et auram liliorum discerno à  
*Q* vio-

à violis, nihil olfaciens: & mel c defruto, le-  
ne aspero, nihil tunc gustando, neq; contre-  
ctando, sed reminiscendo antepono. Intus  
hæc ago, in aula ingenti memoriæ meæ.

4. Ibi enim mihi cælum, & terra, & ma-  
re præsto sunt, cum omnibus quæ in eis sen-  
tire potui, præter illa quæ oblitus sum. Ibi  
& ipse mihi occurro, meque recolo, quid,  
quando, vel ubi egerim; quoque modo, cum  
agerem, affectus fuerim. Ibi sunt omnia,  
quæ sive experta à me, sive credita memini.  
Ex eadem copia etiam similitudines rerum,  
vel expertarum, vel ex eis, quas expertus  
sum creditarum, alias atque alias, & ipse  
contexo præteritis: atque ex his etiam futu-  
ras actiones, & eventa, & spes, & hæc o-  
mnia rursus quasi præsentia meditor. Fa-  
ciam hoc aut illud, dico apud me, in ipso  
ingenti sinu animi mei, pleno tot & tanta-  
rum rerum imaginibus, & hoc aut illud se-  
quetur. O si esset hoc, aut illud! Avertat De-  
us hoc, aut illud! Dico apud me ista. Et cum  
dico, præsto sunt imagines omnium quæ di-  
co, ex eodem thesauro memoriæ, nec o-  
mnino aliquid eorum dicerem, si defu-  
issent.

5. Magna ista vis est memoriæ, magna  
nimis Deus meus! penetrabile amplum & infi-  
nitum. Quis ad fundum ejus pervenit? Et  
vis est hæc animi mei, atque ad meam natu-  
ram pertinet: nec ego ipse capio totum,  
quod sum. Ergo animus ad habendum scip-  
sum angustus est, ut ubi sit, quid sit, non  
capiat. Nunquid extra ipsum, ac non in ip-  
so? Quomodo ergo non capit?

6. Multa mihi super hoc oboritur admi-  
ratio,

ratio, stupor apprehendit me. Et eunt homines mirari alta montium, & ingentes fluctus maris, & latissimos lapsus fluminum, & Oceani ambitum, & gyros siderum, & relinquunt seipfos, nec mirantur. Quin hæc omnia, cum dicerem, non ea videbam oculis; nec tamen dicerem, nisi montes & fluctus, & flumina, & sidera, quæ vidi, & Oceanum quem credidi, intus in memoria mea viderem, spaciis tam ingentibus, quasi foris viderem. Nec ea tamen videndo absorbui, quando vidi oculis: nec ipsa sunt apud me, sed imagines eorum. Et novi, quid ex quo sensu corporis impressum sit mihi.

## NOTÆ.

- a *Vel augendo vel minuendo*) intelligit S. D. ea, quæ nunquam visa nobis imaginamur ex aliis rebus similibus; sic v. g. Romam aut Carthaginem, concipimus ad modum magnæ urbis: ea vero quibus nihil simile, nec in parte, nec in toto unquam vidimus, imaginari omnino non possumus. Hinc est, ut ait S. D. alibi, *quod à prima etate cæci, cum de luce, coloribusque interrogantur, quid respondeant, non inveniunt. Non enim coloratas ullas patiuntur imagines, qui senserunt nullas.*
- b *Nec ipsa tamen intrant*) Res sensibiles imprimunt suas imagines sensibus, easque mittunt ad animum, quo ipsæ non perveniunt. neque enim murus intrat per oculos, sed sola ejus imago. Pulche Aristoteles, *ut cera, inquit, annuli sine ferro & auro recipit signum, accipit enim aureum, aut æreum signum, sed non in quantum aurum & æs: similiter autem & sensus uniuscujusque, ab habente odorem, aut saporem, aut sonum patitur.*
- c *Defruto*) id est vino, quod ex duabus partibus ad tertiam calore ignis, redactum est, teste Nonio Marcello.

V S V S.

Hunc ipse S. D. digito monstrat, tanta nimirum miracula ut consideremus, & animum nostrum aliis rebus longe præferamus.

## C A P. IX.

*Alterum memoria miraculum est, retinere præcepta Doctrinarum liberalium, non per imagines, instar rerum sensibilium, sed per seipsas.*

1. **S**ed non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriæ meæ. Hic sunt & illa omnia, quæ de doctrinis liberalibus præcepta nondum exciderunt, quasi remota interiore loco: non loca, nec eorum imagines, sed res ipsas gero. Nam quid sit literatura, quid peritia disputandi, quot genera questionum, quicquid horum scio, sic est in memoria mea, ut non retenta imagine rem foris reliquerim: aut sonuerit & præterierit, sicut vox impressa per aures vestigio, quo recolitur, quasi sonaret, cum jam non sonaret: aut sicut odor, dum transit & evanescit in ventos, olfactum afficit, unde trajicit in memoriam imaginem sui, quam reminiscendo repetamus: aut sicut cibus, qui certe in ventre jam non sapit, & tamen in memoria quasi sapit: aut sicut aliquid, quod corpore tangendo sentitur, quod etiam separatum à nobis imaginatur memoria. Istæ quippe res non intromittuntur ad eam, sed earum solæ imagines mira celeritate capiuntur, & miris tanquam cellis reponuntur, & mirabiliter recordando proferuntur.

N O-

## NOTÆ.

Et si S. D. admiserit species intentionales rerum corporearum tum in sensu externo, tum interno: species tamen intelligibiles scientiarum & disciplinarum, nullas agnovit, ut clare ex hoc capite colligitur. Censuit enim doctrinas liberales animo nostro insitas, & quasi naturaliter congenitas, ut de primis principiis aliqui philosophantur. Vnde conclusit eas nullis imaginibus egere, cum per se ipsas intellectui præsto sint.

Durand. 3.  
d. 33. q. 1.  
ad 2. Dom.  
Soto. 1. 1.  
de just. &  
jure q. 6.  
a. 1.

## CAP. X.

*Doctrinas, cum per nullum sensum possint intrare, ante in animo latuisse, esse autem necessariam alterius veluti admonitionem, ad eas eruendas.*

1. **A**T vero, cum audio tria genera esse quæstionum, an sit? quid sit? quale sit? sonorum quidem, quibus hæc verba confecta sunt, imagines teneo, & eos per auras cum strepitu transisse, ac jam non esse scio: res vero ipsas, quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi præter animum meum, & in memoria mea recondidi, non imagines earum, sed ipsas. Quæ unde ad me intraverint, dicant, si possunt. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio, qua earum ingressæ sint.

2. Quippe oculi dicunt: si coloratæ sunt, nos eas nunciavimus. Aures dicunt: si sonuerunt, à nobis indicatæ sunt. Nares dicunt: si oluerunt, per nos transferunt. Dicit etiam sensus gustandi: si sapor non est, nihil

me interrogas. Tactus dicit: si corpulentum non est, non contrectavi: si non contrectavi, non indicavi. Vide, unde, & qua hæc intraverunt in memoriam meam? Nescio quomodo; nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi, & vera esse approbavi: & commendavi ei tanquam reponens, unde proferrem, cum vellem. Ibi ergo erant, & antequam ea didicissem, sed in memoria non erant. Vbi ergo? aut quare cum dicerentur, agnovi, & dixi: Ita est, & verum est, nisi quia jam erant in memoria, sed tam remota & retrusa, quasi in caveis abditioribus: ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem?

## N O T Æ.

Doctrinas, cum sub nullam cadant sensum, ante in animo latuisse concludit, quia vero obruuntur aliarum rerum cogitationibus & imaginibus, egere aliquo monitore, ut eruantur, sive in actum prodeant.

## C A P. XI.

*Discere res sensu non perceptibiles, nihil esse aliud, quam ea, quæ in memoria indisposita & abstrusa erant, cogitando quasi colligere, & ordinare.*

I. **Q**uocirca invenimus, nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus, sicuti sunt, per seipsa intus cernimus: nisi ea, quæ passim atque indisposite memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animadvertendo curare, ut tanquam ad manum

num

num posita in ipsa memoria, ubi sparsa prius & neglecta latitabant, jam familiari intentioni facile occurrant.

2. Et quam multa hujusmodi gestat memoria mea, quæ jam inventa sunt, & sicut dixi, quasi ad manum posita, quæ didicisse & nosse dicimur! Quæ si modestis temporum intervallis recolere desivero, ita rursus demerguntur, & quasi in remotiora penetralia dilabuntur, ut denuo velut nova excogitanda sint in idem iterum. Neque enim est alia regio eorum, & cogenda rursus, ut sciri possint: id est, velut ex quadam dispersione colligenda, unde dictum est cogitare. Nam cogo & cogito, sic est, ut ago & actito, facio & factito. Veruntamen, sibi animus hoc verbum proprie vendicavit, ut non quod alibi, sed *b* quod in animo colligitur, id est cogitur, cogitari proprie jam dicatur.

## N O T Æ.

a *Per seipsa intus cernimus*) sensit S. D. nos res immateriales per seipsas cognoscere conceptu proprio & intuitivo, non minus quam sensibiles. *Mens ergo ipsa inquit alibi, sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum per semetipsam.* lib. 9. de Tri. c. 3.

b *Quod in animo colligitur*) elegans verbi cogitare etymologia, & sane congrua, omnis enim cogitatio in quadam *conceptuum collectione* consistit, ut judicare & ratiocinari possimus. Simplici apprehensionis sive conceptui nomen cogitationis minus recte congruit.

C A P.



## C A P. XII.

*Numerorum etiam dimensionumque rationes & leges, nec ipsas sensu perceptibiles, memoria comprehendendi.*

1. **I**tem continet memoria numerorum dimensionumque rationes & leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit; quia nec ipsæ coloratæ sunt, aut sonant, aut olent, aut gustatæ, aut contractatæ sunt. Audivi sonos verborum, quibus significantur, cum de his differitur <sup>a</sup> sed illi alii, istæ autem aliæ sunt. Nam illi aliter græce, aliter latine sonant: istæ vero res nec græcæ nec latinæ sunt, nec aliud eloquiorum genus.

2. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuissimas, sicut filum aranæ: sed illæ aliæ sunt; non sunt imagines earum, quas mihi nunciavit carnis oculus. Novit eas, quisquis sine ulla cogitatione qualiscunque corporis, intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus, quos numeramus; sed illi alii sunt, quibus numeramus, nec imagines istorum sunt, & ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem, qui eos non videt, & ego doleam ridentem me.

## N O T Æ.

a *Sed illi alii, &c.*) abstracti nempe ab omni materia, quales sensus non percipit; omnes enim numeros & quantitates, quas sentimus, in aliquo corpore & re materiali sentiuntur. Abstractiones vero mathematicas, numerosque & quantitates, cum suis regulis ac principiis Arithmeticis & Geometricis, intellectus per seipsum fabricat, vel ut S. D. sensit, congenitas accepit.

C A P.

## C A P. XIII.

*Tertium memoria miraculum est, quod non solum actuum suorum meminerit, verum affectionum quoque & perturbationum animi alio longe modo, quam quo afficiunt animum.*

1. **H**Æc omnia memoria teneo, & quomodo ea didicerim, memoria teneo. Multa etiam, quæ adversus hæc falsissime disputantur, audivi, & memoria teneo: quæ tametsi falsa sunt, tamen ea meminisse me non est falsum, & discrevisse me inter illa vera, & hæc falsa, quæ contra dicuntur. Et hoc memini. Aliterque nunc video discernere me ista, aliter autem memini sæpe me discrevisse, cum ea sæpe cogitarem. Ergo, & intellexisse me sapius ista memini, & quod nunc discerno & intelligo, recondo in memoria, ut postea me nunc intellexisse meminerim. Ergo & meminisse me memini, sicut postea quod hæc reminisci nunc potui, si recordabor, utique per vim memoriæ recordabor.

2. Affectiones quoque animi mei eadem memoria continet, non illo modo, quo eas habet ipse animus, cum patitur eas: sed alio multum diverso, sicut sese habet vis memoriæ. Nam & lætatum me fuisse reminiscor non lætus, & tristitiam meam præteritam, recordor non tristis. Et me aliquando timuisse, recolo sine timore, & pristinæ cupiditatis, sine cupiditate sum memor. Aliquando è contrario, tristitiam meam transactam lætus reminiscor, & tristis lætitiâ meam.

C A P.

## CAP. XIV.

*Latos nos tristitia, aliorumque affectuum meminisse, nec tamen eorum perturbationem sentire.*

I. **Q**uod mirandum non est de corpore, aliud enim animus, aliud corpus. Itaque, si prateritum dolorem corporis gaudens memini, non ita mirum est. Hic vero *a* cum animus sit etiam ipsa memoria. Nam & cum mandamus aliquid, ut memoriter habeatur, dicimus: vide, ut illud in animo habeas. Et cum obliviscimur, dicimus: fuit in animo, & elapsum est animo, ipsam memoriam vocantes animum. Cum ergo ita sit, quid est hoc, quod cum tristitiam meam prateritam laetus memini, animus habet laetitiam, & memoria tristitiam: laetusque est animus, ex eo quod inest ei laetitia, memoria vero, ex eo quod inest ei tristitia, tristis non est? Num forte non pertinet ad animum? Quis hoc dixerit? Nimirum ergo memoria, *b* quasi venter est animi, laetitia vero atque tristitia, quasi cibus dulcis & amarus, cum memoriae commendantur, quasi trajecta in ventrem, recondi illic possunt, sapere non possunt. Ridiculum est haec illis similia putare, nec tamen sunt omnimodo dissimilia.

2. Sed ecce de memoria profero cum dico quatuor esse perturbationes animi, cupiditatem, laetitiam, metum, tristitiam, & quicquid de his disputare potuero: dividendo singula per species sui cujusque generis,  
&

& definiendo. Ibi inuenio quid dicam, atque inde profero: nec tamen ulla earum perturbatione perturbor, cum eas reminiscendo commemoro, & antequam recoleantur à me & retractarentur, ibi erant, propterea inde per recordationē potuere depromi. Forte ergo, sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur. Cur igitur in ore cogitationis non sentitur à disputante, hoc est, à reminiscente, lætitiæ dulcedo vel amaritudo mœstitiæ? An in hoc dissimile est, quod non undique simile est? Quis enim talia volens loqueretur, quoties tristitiam metumve nominamus, toties mœrere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loqueremur, nisi in memoria nostrā, non tantum sonos nominum secundum imagines impressas sensibus corporis, sed etiam rerum ipsarum notiones inueniremus, quas nulla janua carnis accepimus: sed eas ipse animus per experientiam passionum suarum sentiens, memoriæ commendavit, aut ipsa sibi hæc etiam non commendata retinuit.

## N O T Æ.

a *Cum animus sit ipsa etiam memoria*) Sentit S. D. potentias realiter ab anima non distingui, ut alibi clare docet. Quam sententiam SS. Patrum esse communem alibi ostendimus. lib. 9. de Tri. c. 11.

b *Quasi venter est animi*) Plato quoque memoriam stomachum animi vocavit. Etsi vero hæc S. D. similitudo rem aliquo modo declarat, non satis tamen similis est, ut ipse fatetur. Meminimus itaque læti tristitiæ præteritæ, quia tristitia est dolor animi de malo presenti, quod, si jam præteritum est, dolorem non affert. Neque tristitia aliæque perturbationes, quarum meminimus, per seipsas, sed solum per suas imagines animo obver-

obversantur : imagines autem contrariorum affectuum non sibi repugnant, sed ipsi affectus. Ita picta aqua non extinguit ignem, nec ignis pictus calefacit.

## C A P. XV.

*Affectus passionesque animi imaginem sui in memoria relinquere.*

1. **S**ed utrum per imagines, an non, quis facile dixerit? Nomino quippe lapidem, nomino solem, cum res ipsæ non adsunt sensibus meis, in memoria sane mea præsto sunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adest, dum nihil dolet. Nisi tamen adesset imago ejus in memoria mea, nescirem, quid dicerem, nec eum in disputando, à voluptate discernerem.

2. Nomino salutem corporis, cum salvus sum corpore; adest mihi quidem res ipsa: veruntamen nisi & imago ejus inesset in memoria mea, nullo modo recordarer, quid hujus nominis significaret sonus. Nec agrotantes agnoscerent salute nominata, quid esset dictum, nisi eadem imago vi memoriæ teneretur, quamvis ipsa res abesset à corpore. Nomino numeros, quibus numeramus: & adsunt in memoria mea, non imagines eorum, sed ipsi. Nomino imaginem solis, & hæc adest in memoria mea. Neque enim imaginem imaginis ejus, sed ipsam recolo, ipsa mihi reminiscenti præsto est. Nomino memoriam, & agnosco, quod nomino. Et ubi agnosco, nisi in ipsa memoria? Num & ipsa per imaginem suam sibi adest, ac non per seipsam?

N O-

## NOTÆ.

Convictus suo argumento S. D. admittit species, five imagines affectuum in anima, quia absque illis non potest intelligi, quomodo possimus illorum meminisse, si neque in se, nec in sua imagine præsentem sunt.

## CAP. XVI.

*Quartum memoria miraculum esse nos ipsius Oblivionis meminisse, quomodo autem id fiat, censet inexplicabile.*

I. **Q**uid, cum oblivionem nomino, atque itidem agnosco, quod nomino, unde agnoscerem, nisi meminissem? Non eundem sonum nominis dico, sed rem quam significat. Quam si oblitus essem, quid ille valeret sonus, agnoscere utique non valerem. Ergo cum memoriam memini, per seipsam præsto est ipsa memoria: cum vero memini oblivionem, & memoria præsto est & oblivio; memoria, qua meminerim; oblivio, qua non meminerim. Sed quid est oblivio, nisi privatio memoriæ? Quomodo ergo adest, ut eam meminerim, quando cum adest, meminisse non possum? At, si quod meminimus, memoria retinemus: oblivionem autem nisi meminissemus, nequaquam possemus audito isto nomine rem, quæ illo significatur sono, agnoscere: memoria retinetur oblivio. Adest ergo, ne obliviscamur; quæ cum adest, obliviscimur. An ex hoc intelligitur, non per seipsam inesse memoriæ, cum eam meminimus, sed per imaginem suam? Quia si per seipsam præsto

præsto esset oblivio, non ut meminissimus, sed ut oblivisceremur, efficeret.

2. Et hoc quis tandem indagabit? Quis comprehendet, quomodo sit? Ego certe Domine laboro hic, & laboro in meipso: factus sum mihi terra difficultatis, & sudoris nimii. Neque enim nunc scrutamur plagas cæli, aut siderum intervalla demetimur, vel terræ libramenta quærimus. Ego sum, qui memini, ego animus. Non ita mirum, si à me longe est, quicquid ego non sum. Quid autem propinquius meipso mihi? Et ecce memoriæ meæ vis non comprehenditur à me, cum ipsum me non dicam præter illam! Quid enim dicturus sum, quando mihi certum est meminisse me oblivionem? An dicturus sum non esse in memoria mea, quod memini? An dicturus sum ad hoc inesse oblivionem in memoria mea, ut non obliviscar? Vtrumque absurdissimum est.

3. Quid illud tertium? Quo pacto dicam imaginem oblivionis teneri in memoria mea, non ipsam oblivionem, cum eam memini? Quo pacto & hoc dicam, quandoquidem cum imprimitur rei cuiusquam imago in memoria, prius necesse est, ut adsit res ipsa, unde illa imago possit imprimi? Sic enim Carthaginem memini, sic omnium locorum, quibus interfui, sic facies hominum, quos vidi, & cæterorum sensuum nunciata, sic ipsius corporis salutem, sive dolorem. Cum præsto essent ista, cepit ab eis imagines memoria, quas intuerer præsentibus: & retractarem animo, cum illa & absentia reminiscerer. Si ergo per imaginem  
suam,

suam, non per seipsam in memoria tenetur oblivio, ipsa utique aderat, ut ejus imago caperetur. Cum autem adesset, quomodo imaginem suam in memoria conscribebat: quando id etiam, quod jam notatum invenit, præsentia sua delet oblivio? Et tamen quocunq; modo, licet sit modus iste incomprehensibilis & inexplicabilis, etiam ipsam oblivionem meminisse me certus sum, quia id, quod meminerimus, obruitur.

## N O T Æ.

Oblivionis, ut est privatio, meminisse non possumus, quia non entis ut sic, nec imago esse potest, nec conceptus, ut recte concludit S. D. In quantum vero recordamur actus memorati- vi, quem hic & nunc habere debuimus, aut volumus, (ut cum quis meminit, sibi in concione non occurrisse conceptum sententiæ, quam edidicerat) sic meminit oblivionis suæ per imaginem non ipsius oblivionis, sed actus obliti: quem dum concipimus non adfuisse, quando debebat, hoc ipso oblivionem meminimus. Quæ etsi deleat actum oppositum, non tollit tamen memoracionem illius actus, qua meminimus illum non adfuisse, quia isti recordationi, non opponitur. Et sic videtur explicari posse memoria oblivionis.

## C A P. XVII.

*Etsi tanta sit memoria vis, tamen eam quoque transeundam, ut inveniat Deus, cum in brutis quoque memoria appareat.*

i. **M**agna ista vis est memoriæ. Nescio quid horrendum Deus meus, profunda & infinita multiplicitas! & hoc animus



mus est, & hoc ego ipse sum. Quid ergo sum Deus meus? Quæ natura sum? Varia multimoda vita, & immensa vehementer. Ecce in memoriæ meæ campis, & antris, & cavernis innumerabilibus, atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, sive per imagines, sicut omnium corporum, sive per præsentiam, sicut artium, sive per nescio quas notiones vel notationes, sicut affectionum animi, quas & cum animus non patitur, memoria tenet, cum in animo sit, quicquid est in memoria. Per hæc omnia discuro, & volito hac atque illac, penetro etiam quantum possum, & finis nusquam. Tanta vis est memoriæ, tanta vitæ vis est in homine vivente mortaliter.

2. Quid igitur agam, tu vera mea vita, Deus meus? Transibo & hanc vim meam, quæ memoria vocatur, transibo eam, ut perveniam ad te dulce lumen. Quid dicis mihi? Ecce ego ascendens per animum meum ad te, qui desuper mihi manes, transibo & istam vim meam, quæ memoria vocatur: volens te attingere, unde attingi potes, & inhærere tibi, unde inhæreri tibi potest. Habent enim memoriæ & pecora, & aves: alioquin non cubilia nidosve repperent, non alia multa, quibus assuescunt: neque enim & assuescere valerent ullis rebus, nisi per memoriæ. Transibo ergo & memoriæ, ut attingam eum, qui separavit me à quadrupedibus, & volatilibus cœli sapientiosem me fecit. Transibo & memoriæ. Et ubi te inveniam vere bona, & secura suavitas? Et ubi te inveniam?

## N O T Æ.

- a *Sive per presentiam, sicut artium*) censuit S. D. artes, ipsamque animam, aliaque ipsi inhærentia sine speciebus ab intellectu cognosci, eo videlicet, quod sufficienter sint ipsi unita: imagines vero solum requiri putabat, ad supplendam objecti absentis, aut non existentis præsentiam. Communiter tamen Theologi ac Philosophi do-  
cent, species intelligibiles ad horum quoque cognitionem esse necessarias, quod non est nostri instituti examinare.
- b *Sive per nescio quas notiones*) Species affectuum & conceptuum notiones potius vel notationes appellat, quam imagines: ad distinctionem credo specierum aliarum, nam re ipsa istæ notiones, quibus affectus actusque nostros cognoscimus & notamus, non minus sunt imagines, quam species rerum aliarum.

V. S. Th.

1. p. q. 55.

a. 5. Mol.

ibid. a. 2.

d. 1. Con.

3. de ani-

ma c. 5. q.

3. a. 2.

## C A P. XVIII.

*Deum extra memoriam non posse agnosci, adeoque nec inveniri, nihil enim invenimus, nisi quod ex imagine, quam intus tenemus, recognoscimus.*

1. **S**I præter memoriam meam te invenio, immemor tui sum. Et quomodo jam inveniam te, si memor non sum tui? Perdiderat enim mulier drachmam & quæ-  
sivit eam cum lucerna: & nisi memor ejus  
esset, non invenisset eam. Cum enim esset  
inventa, unde sciret, utrum ipsa esset, si  
memor ejus non esset? Multa memini me  
perdita quæsisse, atque invenisse. Vnde istud  
scio? Quia cum quærerem aliquid eorum,  
& diceretur mihi, numquid forte hoc est?  
num forte istud? tamdiu dicebam, non est:  
donec id offerretur, quod quærebam. Cu-  
jus

Luc. 15.

R

jus

jus nisi memor essem, quicquid illud esset, etiam si mihi offerretur, non invenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cum aliquid perditum quærimus, & invenimus.

2. Veruntamen, si forte aliquid ab oculis perit, non à memoria, veluti corpus quodlibet visibile: tenetur intus imago ejus & quæritur, donec reddatur aspectui. Quod cum inventum fuerit, ex imagine, quæ intus est, recognoscitur. Nec invenisse nos dicimus quod perierat, si non agnoscimus: nec agnoscere possumus, si non meminimus, sed hoc perierat quidem oculis, memoria tenebatur.

## N O T Æ.

Clara & elegans est hæc S. D. doctrina, unde optime concluditur, Deum intra memoriam quæri debere, & aliquam illius notionem, sive conceptum saltem obscurum nobis insitum esse.

## C A P. XIX.

*Ipsam memoriam, cum aliquid per oblivionem amittit, non aliter ejus reminisci, quam aliquid simile vel connexum cogitando, quod si omnino aboleatur, nec amissum quæri potest.*

1. **Q**uid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur, & quærimus, ut recordemur: ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respicimus, donec illud occurrat, quod quærimus, &  
cum

cum occurrerit, dicimus, hoc est; quod non diceremus, nisi agnosceremus, nec agnosceremus, nisi meminissemus. Certe ergo obliti fueramus. An non totum exciderat? Sed ex parte qua tenebatur, pars alia quaerebatur, quia sentiebat se memoria non simul volvere, quod simul solebat, & quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi, quod deerat, flagitabat. Tanquam si homo notus, sive conspiciatur oculis, sive cogitur, & nomen ejus obliti requiramus, quicquid aliud occurrerit, non connectitur; quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respuitur, donec illud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inæqualiter acquiescat. Et unde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam & cum ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes approbamus hoc esse, quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quærere poterimus, quod omnino obliti fueramus.

## CAP. XX.

*Cum omnes beatam vitam, qua solus Deus est, quærant, necesse est eam in memoria ac notitia esse, neque enim amaremus eam, nisi nossemus.*

I. **Q**uomodo ergo te quæro Domine?  
Cum enim te Deum meum quæro,  
vitam beatam quæro. Quæram te, ut vivat  
R. 2 anima

anima mea. Vivit enim corpus meum de anima mea, & *a* vivit anima mea de te. Quomodo ergo quero vitam beatam? quia non est mihi, donec dicam, fat est illic, ubi oportet, ut dicam. Quomodo eam quero? Vtrum per recordationem, tanquam eam oblitus sim, oblitumque me esse adhuc teneam? An per appetitum discendi incognitam, sive quam nunquam scierim, sive quam sic oblitus fuerim, ut me nec oblitum esse meminerim? Nonne ipsa est beata vita quam omnes volunt, & omnino, *b* qui nolit, nemo est? Vbi noverunt eam, quod sic volunt eam? Vbi viderunt, ut amarent eam? Nimirum habemus eam, nescio quomodo. Et est alius quidam modus, quo quisque cum habet eam, tunc beatus est. Et sunt, qui spe beati sunt. Inferiore modo isti habent eam, quam illi, qui jam re ipsa beati sunt; sed tamen meliores quam illi, qui nec re, nec spe beati sunt. Qui tamen etiam ipsi nisi aliquo modo haberent eam, non ita vellent beati esse, quod eos velle certissimum est.

2. Nescio quomodo noverunt eam. Ideoque habent eam nescio qua notitia, de qua fatago, utrum in memoria sit: quia si ibi est, jam beati fuimus aliquando. Vtrum sigillatim omnes, an in illo homine, qui primus peccavit, in quo & omnes mortui sumus, & de quo omnes cum miseria nati sumus, non quero nunc: sed quero, utrum in memoria sit beata vita? *c* Neque enim amaremus eam, nisi nossemus. Audimus nomen hoc, & rem ipsam omnes nos appetere fatemur. Non enim sono delectamur. Nam hoc cum latine audit Græcus, non delectatur, quia

quia ignorat quid dictum sit, nos autem delectamur. Sicut etiam ille, si Græce hoc audierit, quoniam res ipsa nec Græca, nec Latina est: tui adipiscendæ Græci Latinique inhiant, cæterarumque linguarum homines. Nota est igitur omnibus, quia una voce si interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla dubitatione velle responderent. Quod non fieret, nisi res ipsa, cuius hoc nomen est, eorum memoria teneretur.

## NOTÆ.

- a *Vivit anima mea de te*) Verissima & frequens S. D. est sententia, vitam animæ Deum esse si-  
cut vita corporis est anima: & sicut deserente  
anima moritur corpus, ita deserente Deo mori  
animam. V. Serm.  
13. de  
martyr.  
to. 10.
- b *Qui nolit eam, nemo est*) adeo ut alibi S. D. dicat, *Omniū sententia est, qui ratione quoquo modo  
nisi possunt, beatos esse omnes homines velle, idque se-*  
pius inculcat. Nimirum beatitudo bonum est,  
bonum autem omnia appetunt, multo ergo magis  
summum bonum, quod est beatitudo. l. 10. de  
CIV. 9. 1. A  
1. Ethic.  
cap. 1.
- c *Neque enim amaremus eam, nisi nossemus*) ignoti  
enim nulla cupido, & probabile est voluntatem  
nullam posse elicere actionem, nisi prævia ap-  
prehensione intellectus, etiam per divinam po-  
tentiam. Fons. 9.  
met. c. 2.  
q. 5. f. 6.  
Vasq. 1, 2.  
t. 1. d. 35.  
cap. 2.

## CAP. XXI.

*Quia omnes notitiam & experientiam aliquam gaudii habent, & vitam beatam gaudium esse putant, hinc omnes illam appetunt, & in memoria recognoscunt.*

i. **N**Unquid ita, ut meminit Carthaginem, qui vidit? Non. Vita enim beata non videtur oculis, quia non est corpus.

quid sicut meminimus numeros? Non. Hos enim qui habet in notitia, & non adhuc quærit adipisci. Vitam vero beatam habemus in notitia, ideoque amamus, & tamen adhuc adipisci eam volumus, ut beati simus. Nunquid sicut meminimus eloquentiam? Non. Quamvis enim & hoc nomine audito recordentur ipsam rem, qui etiam nondum sunt eloquentes, multique esse cupiant, unde apparet eam esse in eorum notitia: tamen per corporis sensus alios eloquentiores animadverterunt, & delectati sunt, & hoc esse desiderant: qua nisi in exteriori notitia, non delectarentur, neque hoc esse vellent, nisi delectarentur. Beatam vero vitam nullo sensu corporis in aliis experimur.

2. Nunquid, sicut meminimus gaudium? Fortasse ita. Nam gaudium meum etiam tristic memini, sicut vitam beatam miser. Neque unquam corporis sensu gaudium meum vel vidi, vel audivi, vel odoratus sum, vel gustavi, vel tetigi, sed expertus sum in animo meo, quando lætatus sum: & adhæsit ejus notitia memoriæ meæ, ut id reminisci valeam aliquando cum aspernatione, aliquando cum desiderio, pro earum rerum diversitate, de quibus me gavisum esse memini. Nam & de turpibus gaudio quodam perfusus sum, quod nunc recordans detestor atque execror. Aliquando de bonis & honestis, quod desiderans recolo, tamen si forte non adsunt, & ideo tristis gaudium pristinum recolo. *b* Vbi ergo & quando expertus sum vitam meam beatam, ut recorder eam, & amem, & desiderem?

Nec

Nec ego tantum, aut cum paucis, sed beati prorsus omnes esse volumus. Quod nisi certa notitia nossemus, non tam certa voluntate vellemus.

3. Sed quid est hoc? Quod si quærat a duobus, utrum militare velint, fieri possit, ut alter eorum velle se, alter nolle respondeat. Si autem ab eis quærat, utrum beati esse velint; fieri possit, ut uterque statim se sine ulla dubitatione dicat optare: nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iste nolit, nisi ut beati sint. Nam forte, quoniam alius hinc, alius inde gaudet, ita se omnes beatos esse velle consonant: quemadmodum consonarent, si hoc interrogarentur, se velle gaudere, atque ipsum gaudium vitam beatam vocant. Quod etsi alius hinc, alius illinc assequitur, unum est tamen, quo pervenire omnes nituntur, ut gaudeant. Quæ quoniam res est, quam se expertum non esse nemo potest dicere, propterea reperta in memoria recognoscitur, quando beatæ vitæ nomen auditur.

## N O T Æ.

- a *Non adhuc quærit adipisci*) est enim Arithmetica scientia speculativa, quæ ultra cognitionem objecti non tendit. Accedit S. D. existimasse numerorum species, quos numeros vocat, esse nobis naturaliter insitas.
- b *Vbi ergo, & quando expertus sum vitam beatam?* Nunquam totam experiri possumus in hac vita, aliquam tamen ejus partem quovis actu amoris & desiderii appetimus. Nam ex eo, quod experimur nobis bene esse obtento uno bono, & tanto melius, quanto plura bona adipiscimur, concludimus optime nobis fore, si possiamur omnibus bonis, & careamus omnibus malis, quod est summum bonum, & beatitudo vera. Quare per experientiam

R 4

boni



Boet. 1. 3.  
de consol.  
Philos.  
Prof. 2.

boni particularis, venimus in cognitionem boni universalis & completi, quod nondum experti sumus, sed experiri desideramus. Et quamvis non omnes consonent in gaudiis particularibus, & alius hinc, alius hinc gaudeat, omnes tamen consonant in appetitu gaudii completi, quod omnium bonorum aggregatione perficitur, & nihil est aliud quam ipsa beatitudo, sive vita beata.

## C A P. XXII.

*Non omne gaudium est beata vita, sed gaudere ad Deum, de illo, & propter illum.*

I. **A**bsit Domine, absit à corde servi tui, qui confitetur tibi, absit, ut quocunque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impiis, sed eis, cui te gratis colunt, a quorum gaudium tu ipse es. b Et ipsa est vita beata, gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est enim, & non est altera. Qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudii, voluntas eorum non avertitur.

## N O T Æ.

a *Quorum gaudium tu ipse es*) Sicut beatitudo duplex est, una *objectiva*, sive *res*, in qua consistit summum bonum, altera *formalis*, sive *acquisitio & possessio talis rei*, ita gaudium duplex est, unum *objectivum*, sive *bonum aliquod* v. g. pecunia, alterum *formale*, sive *possessio talis boni & delectatio de illo*. Priori modo Deus est beatitudo & verum gaudium nostrum, posteriori *vita beata consistit in actibus intellectus & voluntatis*, per quos possidemus Deum illoque fruimur, in hac quidem vita spe, per cognitionem & caritatem imperfectam, in altera re, per visionem & fruitionem beatificam. Hoc enim est gaudium Domini, in quod intrabit servus bonus, & fidelis.

b *Et ipsa est beata vita*) gaudere spe perveniendi  
ad

*ad Deum, omnem delectationem quærere de Deo, qui est summum bonum, delectari quoque in minoribus bonis, siue creaturis, sed propter Deum. Hæc est beata vita, quæ per spem & gratiam inchoatur in mortali vita, & consummatur per gloriam in æterna vita.*

## CAP. XXIII.

*Beatam vitam esse gaudium de veritate, quia Deus veritas est, & quicumque aliud amant, velle, ut hoc quod amant, sit veritas.*

I. **N**on ergo certum est, quod omnes esse beati volunt; quoniam qui non de te gaudere volunt, quæ sola vita beata est, a non utique vitam beatam volunt. An omnes hoc volunt? Sed quoniam *caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*, ut non faciant quod volunt, cadunt in id, quod valent, eoque contenti sunt: quia illud, quod non valent, non tantum volunt, quantum fat est, ut valeant. Nam quæro ab omnibus, utrum malint de veritate, quam de falsitate gaudere? Tam non dubitant dicere de veritate se malle, quam non dubitant dicere, beatos esse se velle. Beata quippe vita, est *b* gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, *Deus illuminatio mea, salus faciei meæ, Deus meus.* Hanc vitam beatam, omnes volunt, hanc vitam, quæ sola beata est, omnes volunt. Multos expertus sum, qui vellent fallere; qui autem falli, neminem. Vbi ergo noverunt hanc vitam beatam, nisi noverunt etiam veritatem? Amant enim & ipsam, quia falli nolunt.

nolunt. Et cum amant beatam vitam, quod non est aliud quam de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem. Nec amarant, nisi esset aliqua notitia ejus, in memoria eorum.

Joan. 12,  
35.

2. Cur ergo non de illa gaudent? c Cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in aliis, quæ potius eos faciunt miseros, quam illud beatos quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim *modicum lumē est in hominibus*. Ambulent, ambulent, ne eos tenebræ comprehendant. Cur autem veritas parit odiū, & inimicus eis factus est homo tuus, verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate: nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, d hoc quod amant, velint esse veritatem? Et quia falli nolunt, nolunt convinci, quod falsi sint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt & fallere volunt, amant eam, cum seipsam indicat, & oderunt eam, cum eos ipsos indicat. Inde retribuet eis, ut qui se ab ea manifestari nolunt, & eos nolentes manifestet, & eis ipsa non sit manifesta. Sic sic etiam, sic animus humanus, etiam sic cæcus & languidus, turpis atque indecens latere vult: se autem ut lateat aliquid, non vult. Contra illi redditur, ut ipse non lateat veritatem, ipsum autem veritas lateat. Tamen etiam sic dum miser est, veris mavult gaudere, quam falsis. Beatus ergo erit, si nulla interpellante molestia, de ipsa, per quam vera sunt omnia, sola veritate gaudebit.

N O.

## NOTÆ.

- a *Non utique vitam beatam volunt*) quia hæc in solo Deo est, quem peccatores deserunt, in creaturis vitam beatam quidem quærentes, sed non nisi falsam & umbraticam beatitudinem reperientes.
- b *Gaudium de veritate*) de vero nempe bono, quod ita bonum est, ut nihil mali admixtum habeat, solumque sufficiat ad verum gaudium. Nullum itaque gaudium de creatura potest esse vita beata, quia omne bonum finitum, alicujus imperfectionis permixtione laborat.
- c *Cur non beati sunt?*) quia diligunt vanitatem, & Psal. 4. quærunt mendacium. Cupiunt esse beati, habere omne bonum, & carere omni malo, sed hoc posse inveniri in creaturis, graue mendacium est, quod dum credunt, & rebus creatis inordinato amore illigantur, fiunt miseri, quia deserunt veritatem: nec moventur tenui illo lumine intellectus, ducente ad Deum, in quo est vera beatitudo.
- d *Hoc quod amant, velint esse veritatem*) ita luxuriosus voluptatem carnis vult esse verum gaudium, & quamvis sciat esse falsum, quod pravo affectu superatus vult esse verum, non vult tamen redargui, quod amet falsum bonum pro vero: quia scit turpem esse hunc errorem, ideoque de eo erubescit & infamari metuit, nec restringi inordinatas passiones suas patitur. Quæ sane causa est unica, ob quam veritas odium parit.

## V S V S.

1. Ex hoc & præcedentibus capitibus, discimus beatitudinem in nulla creatura reperiri posse, sed in solo Deo, ad quem perveniri non potest, nisi amore veritatis, non solum lucentis, verum & redarguentis, stimulantisque, ut falsa bona displiceant intellectui, & affectui. Quod fiet, si mortificationis studio reprimamus indomitas passiones, ob quas aliud facimus, aliud faciendum judicamus.
2. Cum durante hac vita fomes peccati & æstus concupiscentiæ, prorsus tolli non possit, perfecte beatos in hac vita nos esse non posse, sed tum demum, cum in cælo nulla interpellante molestia, sola veritate gaudebimus.

## CAP. XXIV.

*Inveniri Deum in memoria, quia invenitur  
ibi veritas.*

I. **E**Cce quantum spatatus sum in memoria mea, quærens te Domine, & non inveni extra eam! Neque enim aliquid de te inveni, quod non meminissem, ex quo didici te. Nam *a* ex quo didici te, non sum oblitus tui. Vbi enim inveni veritatem, ibi inveni Deum meum, *b* ipsam veritatem: quam, ex quo didici, non sum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic te invenio, cum reminiscor tui, & delector in te. Hæ sunt sanctæ deliciae meæ, quas donasti mihi misericordia tua, respiciens paupertatem meam.

## NOTÆ.

- a* Vbi enim inveni veritatem ) in naturalibus principiis refulgentem, qualia sunt: Deum esse summum bonum, esse incorruptibilem, inviolabilem, immutabilem, meliorem omnibus rebus corruptibilibus, violabilibus, mutabilibus. (Ibi) in memoria, cui hæc semina divinæ cognitionis naturaliter insita sunt (inveni Deum meum) ex his principiis ejus naturam paulatim investigando.
- b* Ipsam veritatem ) est Deus prima & summa veritas, tum quia divinus intellectus est mensura & causa omnis alterius esse, & omnis alterius intellectus, tum quia essentia divina est conformis intellectui divino. Est autem Deus veritas objectiva respectu intellectus nostri, & principia naturalia sunt veritates formales, sive cognitiones veritatis objectivæ.

S.Th. 1. p.  
9. 16. a. 5.  
c.

## V S V S.

Est Deus in memoria nostra ita insculptus per  
prin-

principia naturalia, ut nulla oblivione deleri possit. Ille castas delicias subministrat animæ, consideranti in illo esse omne bonum, & non esse ullum malum.

## CAP. XXV.

*Non inveniri Deum inter imagines rerum corporalium, nec affectuum, & prestare ipso animo, sunt enim hæc omnia mutabilia.*

I. **S** Ed ubi manes in memoria mea, tu Domine? ubi illic manes? quale cubile fabricasti illic tibi? quale sanctuarium ædificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ, ut maneas in ea; sed in quæ ejus parte maneas, hoc considero. Transcendi enim partes ejus, quas habent & bestia, cum te recordarer; quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium, & veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic invenite. Et intravi ad ipsius animi mei sedem, quæ illic est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras. Quia sicut non es imago corporalis, nec affectio viventis, qualis est cum latamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, & quicquid hujusmodi est: ita nec ipse animus es, quia Dominus Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia; & dignatus es habitare in memoria mea, ex quo te didici. Et quid quaero, quo loco ejus habites, quasi vero loca ibi sint? Habitas certe in ea, quoniam tui

R 7                      memini,

memini, ex quo te didici; & in ea te invenio, cum recordor te.

## N O T Æ.

- a *Ex quo te didici*) discimus Deum natura magistra cum ad rationis usum pervenimus; sed ea notitia admodum obscura est. Accedit ergo Magisterium fidei Christianæ, unde clarius nobis innotescit summum illud bonum.

## C A P. XXVI.

*Deum inveniri in se supra nos, dum veritatem ejus consulimus, omnibus liquide respondentem.*

1. **V**bi ergo te inveni, ut discerem te? Neque enim jam eras in memoria mea, a priusquam te discerem. Vbi ergo inveni te, ut discerem te, b nisi in te supra me? Et c nusquam locus, & recedimus, & accedimus, & nusquam locus. d Ubique veritas præfides omnibus consulentibus te, simulque e respondes omnibus, etiam diversa consulentibus. f Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes, unde volunt, consulunt, sed g non semper, quod volunt, audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit.

## N O T Æ.

- a *Priusquam te discerem*) Non est Deus in mente & memoria nostra per notitiam claram, nisi fidei lumine illustremur. Sic S. D. non censuit se nosse Deum; nisi postquam fide magistra didicit, quis & qualis esset, ejusque cognitio ante infor-  
mis

mis, & rudis, perficeretur lumine Catholicæ veritatis.

- b *Nisi in te supra me*) id est, cognovi Deum me & omnibus creaturis longe superiorem, in se solo acquiescere, & seipso beatum esse.
- c *Nusquam locus*) qui Deum claudat; nulli palatio aut sedi affixus est, ubique præsens, omnia implens; & tamen accedimus ad illum per gratiam & caritatem: recedimus per peccatum, non spatiis locorum, sed distantia bonitatis & malitiæ.
- d *Ubique veritas præsidet*) ubique Deus audit preces eorum, qui ipsum consulunt pro veritate agnoscenda, per desideria & orationes serias, ut fecit Augustinus,
- c *Respondes omnibus*) per instinctus bonos & salutare cogitationes: *bonum esse faciendum, malum fugiendum*, (*Etiã diversa consulentibus*) quia alius aspirat ad divitias, alius ad honores, alius ad voluptates, alius ad hæc omnia, aut pleraque: his omnibus Deus respondet eadem, nempe *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*.
- f *Liquide tu respondes*) satis clare, quod testatur conscientia peccatis obmurmurans, (*sed non liquide omnes audiunt*) tumultu passionum suarum impediti.
- § *Non semper, quod volunt, audiunt*) quia pravis affectibus impediti alia volunt, quam Deus præcipit, & illos velle vult.

## V S V S.

Ex his principiis illud emergit, ut qui serio ad Deum converti vult cum S. Augustino, voluntatem suam divinæ conformet: magisque credat decere servum velle, quod Domino placet, quam ut Domino placeant, quæ servo placent, sic erit optimus Dei minister.

C A P.



## CAP. XXVII.

*Se Deum sero amasse, quia ipsum non intus, sed foris in creaturis, longe ab ipso quasiuit.*

I. *a* **S**ero te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, sero te amavi. Et ecce *b* intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis iruebam. *c* Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe à te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam. Coruscasti, splendisti, & fugasti cæcitatem meam. Fragraisti, & duxi spiritum, & anhelasti tibi. Gustavi; & esurio, & sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

## NOTÆ.

- a* *Sero te amavi*) post 12 annos, ex quo primum amorem Sapientiæ, ex lectione Hortensii concepit.
- b* *Intus eras*) in animo meo, loquens mihi per lumen naturale, & principia Synteresis, item per sanctas inspirationes; (*& ego foris*) occupatus amore & delectatione sensibilibus creaturarum.
- c* *Mecum eras*) per præsentiam & bonas cogitationes (*tecum non eram*) per caritatem & gratiam.
- d* *Vocasti me*) per occultos instinctus, per monita matris, sermones Ambrosii, consilia Simpliciani, exempla Victorini, Antonii, aliorumque servorum tuorum; (*Clamasti*) illustrationibus internis, voce externa: Tolle lege &c. (*& rupisti surditatem meam*) audiivi & obediivi. V. ipsius conversionem supra.

V S V S.

## V S V S.

Salutarem recordationem beneficii vocationis & conversionis S.D. proponit, quam utile erit sæpius iterare, iis præsertim, quos Deus ex gravibus peccatis eduxit.

## CAP. XXVIII.

*Quod Deo nondum totus inhaereat, inde se adhuc jactari tentationibus vitæ humanæ, inter gaudia & mœrores, inter metum adversitatis & desiderium prosperitatis.*

1. **C**um inhæsero tibi ex omni me, omnino nusquam erit mihi dolor & labor: & viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam, a quem tu implet, sublevas eum: quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. *b* Contendunt lætitiæ meæ fletu cum lætandis mœroribus: & ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi Domine, miserere mei. Contendunt mœrores mei mali cum gaudiis bonis: & ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi Domine, miserere mei. Hei mihi: Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum. Misericors es, miser sum. Nunquid non *tentatio* Iob. 7. 14 *est vita humana super terram?*

2. **Q**uis velit molestias & difficultates? *c* Tolerare jubes eas, non amari. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse, quod toleret. Prospera in adversis desidero, adversa in prosperis timo. **Q**uis inter hæc medius locus, ubi non sit

fit humanæ vitæ tentatio? Væ prosperitatibus seculi *d* semel & iterum, à timore adversitatis, & à corruptione lætitiæ! Væ adversitatibus seculi, semel & iterum, & tertio, à desiderio prosperitatis! Et quia ipsa adversitas dura est, & naufraga tolerantia, nunquid non tentatio est vita humana super terram, e sine ullo interstitio?

## N O T Æ.

- a *Quem tu implet*) gratia, cognitione, & caritate tua, (*siblevas eum*) ad desideria & gaudia cælestia, ne corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, (*quoniam tui plenus non sum*) occupant enim magnam partem mei, vitiosi habitus & imperfectiones, ideo (*oneri mihi sum*) deorsum tendens per concupiscentiam.
- b *Contendant lætitiæ meæ flenda*) quibus lætatur & justus in qualibuscunque concupiscentiis suis, ob quas et si leves, flere potius deberet, (*cum lætandis maroribus*) quos affert & suadet spiritus compunctionis & mortificationis: in quibus et si tristetur caro, lætari debet animus ordinatus. (*Contendant marores mei mali*) de labore virtutis, & abnegationis (*cum gaudiis bonis*; de profectu in via Dei, & crucis. (*Et ex qua parte stet victoria, nescio*) nam quamvis homo studiose vigilet, subinde subrepat aut obrepat sensualitas, inordinatus sui, & hujus vitæ amor. Difficileque subinde est agnoscere, caro ne an Spiritus operetur, ita ut mens justi merito ambigat de Victoria.
- c *Tolerari eas jubes, non amari*) difficultates & miseræ in se nihil habent cur amentur, quia repugnant naturæ, & privant aliquo bono. In quantum vero deserviunt consecutioni summi boni & æternæ beatitudinis, ut tormenta martyribus, amari possunt, velut media apta ad finem hunc obtinendum. Quia vero in ejusmodi mediis non amatur eorum molestia, sed tolerantia, & ipse finis sive beatitudo, recte dicit S. D. *eas tolerari, non amari*. Quamvis enim justus gaudeat se tolerare dura in hac vita, mavult tamen non esse quod

quod toleret; quod erit in altera vita, in quam V.1.3.c.1.  
nos oportet intrare per multas tribulationes. not. 2.

- d Semel, & iterum, & tercio) S. D. triplex vœ intentat à desiderio prosperitatis, & duplex solum à timore adversitatis, quia plus multo nocet prosperitas quam adversitas. Illa inducit oblivionem sui, & Dei, contemptum virtutis, & licentiam omnium vitiorum: ista revocat hominem ad cor, incitat ad pœnitentiam, subtrahit materiam vitiis, & Deus pius ac misericors remittit in die tribulationis peccata. Ecclef. 2.  
13. Hinc paucos invenies probos in magna & continua prosperitate, plures in tribulatione.
- e Sine ullo intersticio, vix hora labitur, qua non tristitiam aut molestiam sentimus, tinendo & patièdo aliquid adversum corpori, animo, fortunæ, honori, vel desiderando aliquid prosperum, in his ipsiis rebus.

## V S V S.

1. Apparet Paulum verissime dixisse: *Patientia vobis necessaria est*, hæc procuranda in hac tentationum, ideoque & lachrymarum valle; sine hac miseri erimus. Hebr. 10.  
36.
2. Tædium hujus vitæ ex tot malis concipiendum est & desiderium æternæ patriæ, ad quam totis medullis aspirare, tentationum inevitabilis multitudo compellit.

## CAP. XXIX.

*In Dei misericordia spem reponens, ab eo petit continentiam.*

1. **E**T tota spes mea, non nisi in magna valde misericordia tua, Domine Deus. Da quod jubes, & jube quod vis. a Imperas nobis continentiam. *Et cum scirem, ait* Sap. 1.28. quidam, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc

*hoc donum.* Per continentiam quippe colligimur & *b* redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Caritas Deus meus, accende me. Continentiam jubes: Da quod jubes, & jube quod vis.

## N O T Æ.

a *Imperas nobis continentiam*) non sumit hic continentiam pro castitate, per quam aliquis ab omni delectatione venerea abstinet, sed generalius pro ea virtute, per quam aliquis resistit quibusvis concupiscentiis pravis, quæ in eo vehementes existunt, ut ait S. Thomas. Eodem modo loquitur Aristoteles de continentia. 7. Ethic. Quæ nondum est virtus perfecta, sed inchoatio quædam virtutum, ideoque maxime convenit incipientibus servire Deo: nam etsi in illis ratio sit firmata contra passiones, ne ab eis superetur: passionum tamen vehementia ac multitudo, ostendit illos ad perfectam virtutem nondum pervenisse; hæc enim appetitum sensitivum subdit rationi, & vehementiam concupiscentiæ refringit.

b *Redigimur in unum*) solius Dei amorem & obsequium, à quo peccatores & incontinentes dispersuntur in multas creaturas, ut sæpe jam dictum est. Melius autem multo est, amare unum summum bonum, quam multa parva bona, & inordinato eorum amore amittere illud unum, quod necessarium est, ac solum sufficit.

## V S V S.

Duo remedia ad superandas hujus vitæ tentationes suggerit S. D. I. Spem, sive fiduciam divinæ misericordiæ. II. Orationem, cujus formam ac summam optimam præscribit: *Da quod jubes, & jube quod vis;* etsi enim peccare possimus ex nobis, Dei tamen præcepta implere non possumus sine Dei præcipientis gratia. Sicut oculos claudere possum cum volo, iis autem licet apertis videre non possum, nisi lux affulgeat, & adjuvet, ut S. D. alibi docet.

22. q. 155.  
a. 1. c.

I. de gestis  
Pelagii.

C A P.

## CAP. XXX.

*Confitetur se turpibus imaginibus vigilan-  
tem quidem non moveri, dormientem  
tamen illudi, oratque ab hoc malo libe-  
rari.*

1. **I** Vbes certe, ut contineam à concupi-  
scentia carnis, & concupiscentia ocu-  
lorum, & ambitione seculi. Iussisti à concu-  
bitu, & de ipso conjugio melius aliquid,  
quam concessisti, monuisti. Et quoniam de-  
didisti, factum est, & antequam dispensator  
Sacramenti tui fierem. Sed adhuc vivunt in  
memoria mea de qua multa locutus sum,  
talium rerū imagines, quas ibi consuetudo  
mea fixit: & occursant mihi vigilanti qui-  
dem carentes viribus, in somnis autem non  
solum usque ad delectationem, sed etiam  
usque ad consensionem factumque simili-  
mum. Et tantum valet imaginis illusio in  
anima mea, & in carne mea, ut dormienti  
falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera  
non possunt. Nunquid tunc ego non sum  
Domine Deus meus? Et tamen tantum in-  
terest inter meipsum & meipsum, intra mo-  
mentum quo hinc ad soporem transeo, vel  
huc inde transeo.

2. Vbi est tunc ratio, qua vigilans animus  
talibus suggestionibus resistit, & si res ipsæ  
ingerantur, inconcussus manet? Nunquid  
clauditur cum oculis? Nunquid sopitur cum  
sensibus corporis? Et unde sæpe etiam in so-  
mnis resistimus, nostrique propositi memo-  
res, atque in o ecastissime permanentes nul-  
lum

lum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantum interest, ut cum aliter accidit, evigilantes ad conscientiae requiem redeamus: ipsaque distantia reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Nunquid non potens est manus tua Deus omnipotens, sanare omnes languores animae meae: atque abundantiore gratia tua, lascivos motus etiam mei soporis extinguere?

3. Augebis Domine magis magisque in me munera tua, ut anima mea sequatur me ad te, concupiscentiae visco expedita, ut non sit rebellis sibi; atque ut in somnis etiam non solum non perpetret istas corruptelarum turpitudines, per imagines animales usque ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem. Nam ut nihil tale vel tantillum libeat, quantum possit nutu cohiberi, etiam in casto dormientis affectu: non tantum in hac vita, sed etiam in hac aetate, non magnum est omnipotenti, qui vales facere *supra quam petimus, & intelligimus*. Nunc tamen, quid adhuc sim in hoc genere mali mei, dixi bono domino meo, exultans cum tremore in eo, quod donasti mihi: & lugens in eo, quod inconsummatus sum, sperans perfecturum te in me misericordias tuas, usque ad pacem plenariam; quam tecum habebunt interiora & exteriora mea, *cum absorpta fuerit mors in victoriam*.

Ephes. 3,  
20.

1. Cor. 13,  
54.

## V S V S.

1. S. Augustinus censuit castitatem conjugio meliorem, & de ipso conjugio inquit, melius aliquid, quam concessisti, monuisti, nimirum consilium castitatis

sttatis perpetuæ inspirando, quod S. D. statim à sua conversione amplexus est, & tum presbyter, tum Episcopus, sive Sacramenti divini dispensator, castissime observavit, ita ut teste Possidio, *fœminarum intra domum suam nullam con-* In vita 6.  
26.  
*versari sit passus, ne quidem germanam sororem, nec patri sui filias, nec unquam solus cum fœmina sine testibus sermonem contulerit*: admirando castitatis exemplo, quo omnem prioris vitæ licentiam compensavit. Viderint hæretici, qui castitatem abominantur, & ministris quoque verbi divini conjugium præceptum volunt, utrum ipsi spiritum Dei habeant, an potius S. Augustinus.

2. Admiranda est S. D. humilitas, qui id, quod est maximæ verecundiæ, etsi nullius sit culpæ, de se confiteri non dubitavit. Quem imitantur, timorati, in confessione humiliter exponentes, si quas illusiones nocturnas passi sunt, ut forte si negligentius in ejiciendis iis sordibus, jam expergefacti se gessissent, culpam illam expient.
3. Triplex hac in re documentum S. D. suggerit. I. Ut evigilantes doleamus. II. Ut postquam advertimus nos in culpa non esse, mox ad conscientiæ quietem redeamus. III. Ut Deum pro liberatione rogemus. Serviet hymnus ille: *Te lucis ante terminum &c.* quem quotidie sub cubitum recitare adversus hanc infirmitatem consultum est.

## CAP. XXXI.

*Alimenta sicut medicamenta sumenda; magnum illum esse, quisquis non rapitur aliquantum extra metas necessitatis; se talem non esse.*

1. **E**st alia malitia diei, quæ utinam sufficiat ei! Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, priusquam escas & ventrem destruas:  
cum



a cum occideris indigentiam meam fatietate mirifica, & corruptibile hoc indueris in corruptione sempiterna. Nunc autem suavis est mihi necessitas, & adversus istam suavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero jejuniis, sapius in servitutum redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames & fitis, quidam dolores sunt. Vrunt, & sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præsto est, ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra, & aqua, & cœlum serviunt, calamitates delitiæ vocantur. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.

2. Sed dum ad quietem fatietatis ex indigentia molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus, voluptas est: & non est alius, qua transeat, quam qua transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi ac bibendi, adjungit se tanquam pedissequa, periculosa jucunditas: & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. Nec idem modus utriusque est. Nam *b* quod salutis fatis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrociniū: gaudens non apparere, quod fatis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis, obumbret negotium voluptatis.

3. His

3. His tentationibus quotidie conor resistere, & invoco dexteram tuam ad salutem meam, & ad te refero ætus meos: quia consilium mihi de hac re nondum stat. Audio vocem iubentis Dei mei: *Non graventur corda vestra, in crapula & ebrietate.* Ebrietas longe est à me, misereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam surrepit servo tuo, misereberis, ut longe fiat à me. *Nemo enim potest esse continens, nisi tu des.* Multa nobis orantibus tribuis, & quicquid boni, antequam oremus, accipimus, à te accipimus & ut hoc postea cognosceremus, à te accipimus. Ebriosos à te sobrios factos, ego novi. Ergo à te factum est, ut hoc non essent, qui nunquam fuerunt: à quo etiam factum est, ut hoc non semper essent, qui fuerunt: quo etiam factum est, ut scirent utrique, à quo factum est.

4. Audivi & aliam vocem tuam: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.* Audivi & illam ex munere tuo, quam multum amavi: *Neque si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deerit nobis.* Hoc est dicere: nec illa res me copiosum faciet, nec illa ærumnosum. Audivi & alteram: *Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse; & abundare novi, & penuriam pati novi.* *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ecce miles castrorum cœlestium, non pulvis, quod nos sumus: sed memento Domine, quia pulvis sumus, & de pulvere fecisti hominem, & perierat, & inventus est. Nec ille in se potuit, quia itidem pulvis fuit, quem talia dicentem afflatu tuæ inspirationis adamavi. *Omnia possum, inquit, in eo, qui me confortat.* Conforta

S me,

LUC. 21.

34.

Sap. 3, 21.

Eccl. 18,

30.

1 Cor. 8,

9.

Phil. 4, 12.

Gen. 3,

19.

LUC. 15.

Phil. 4,

12.

me, ut possim. Da quod jubes, & jube quod vis. Iste se accepisse confitetur, & quod gloriatur, in Domino gloriatur. *Audivi alium rogantem ut accipiat: Aufer à me, inquit, concupiscentias ventris. Vnde apparet sancte Deus meus te dare, cum fit, quod imperas fieri.*

*1 Cor. 1, 31. Eccl. 23, 6. Tit. 1, 15. 1 Tim. 4, 4. 1 Cor. 8, 8. Col. 2, 16. Rom. 14, 4.* Docuisti me pater bone, *omnia munda mundis. Sed malum esse homini, qui per offensionem manducat; & omnem creaturam tuam bonam esse, nihilque abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; & quia esca nos non commendat Deo, & ut nemo nos judicet in cibo, aut in potu, & ut qui manducat non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet.* Didici hæc, gratias tibi, laudes tibi Deo meo, magistro meo, pulsatori aurium mearum, illustratori cordis mei. Eripe me ab omni tentatione.

6. Non xgo immunditiam obsonii tui meo, sed immunditiam cupiditatis. Scio *3 Reg. 17, 6. Matt. 3, 4.* Noë omne carnis genus, quod cibo esset usui, manducare permissum; Heliam cibo carnis refectum; Ioannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum, & David propter aquæ desiderium, à seipso reprehensum; & regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque & populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio adversus Dominum murmuravit, meruit improbari. In his ergo tentationibus positus, certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi & bibendi. Non enim est, quod semel præcidere, & ulterius non attingere decernam, sicut de concubitu

tu potui. Itaque fræni gutturis, temperata relaxatione & constrictione tenendi sunt. Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulū extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed & ego magnifico nomen tuum, & *interpellat te pro peccatis meis*, qui vicit seculum, numerans me inter infirma membra corporis sui, quia & *imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.*

Rom. 8.  
34.

Pfal. 138.  
16.

N O T Æ.

a *Cum occideris indigentiam*) satiaveris appetitum meum immensa dulcedine tua, aut abstuleris in morte, omnem cibi ac potus necessitatem.

b *Quod saluti satis est, delectationi parum est*) Ipsa hæc nos modum necessitatis sentire non sinit, & ipsum limitem procuranda salutis (si qua adsint delectabilia) rapiendo abscondit & transilit: putantibus nobis satis non esse, quod satis est, dum libenter ejus provocationibus ducimur, existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cum agamus potius voluptatis. Ita nescit cupiditas ubi finiatur necessitas, ait alibi S. D.

1.4. con-

c *Non ego immunditiam obsonii timeo*) nullum enim obsonium per se immundum est, nec conquinat hominem nisi per legem justam vetetur; quo modo Deus prohibuit Adam & Evæ esum pomi, & Ecclesia carnes in quadragesima, aliisque quibusdam diebus.

tra  
Iul. c. 14.

V S V S.

I. Magnum Sobrietatis & temperantiæ stimulum S. D. subdit. I. Dum demonstrat alimenta esse medicamenta. Nullus æger, nisi insanit, plus de pharmacis sumit, quam sanitati conducit; neque nobis ergo plus de cibo & potu sumendum, quam necessitas postulat. II. Idem suadet S. Scriptura luculentis monitis, quæ iuvabit expendere.

S 2

III, In.

In vit.  
c. 22.

- III. Invitat exemplo S. Pauli, imo & suo, domabat enim gulam jejuniis frequentibus, ut hic testatur. *Mensa autem utebatur frugali & parca, qua inter olera & legumina, aliquando carnes propter hospites, vel quosque infirmiores continebat, uti refert Possid.*
2. Difficillimum est mensuram necessitatis, in cibo & potu invenire ac tenere. S. D. etsi fateatur consilium sibi hac de re nondum stetisse, aliqua tamen ejus reperiendæ media suggerit. I. Jejunium, & reliquam corporis mortificationem. II. Tentationum gulæ, cum ea appetitum allicit, quotidianam repressionem. III. Orationem, & divini auxilii ardentem implorationem. S. Ignatius in libello *Exercitationum* utiles aliquot regulas tradidit, ad Victum recte temperandum, & mensuram naturæ debitam inveniendam.
3. Gula non solum reprimenda est in cibis delicatioribus, sed vilioribus quoque, quod S. D. eorum exemplis suadet, qui immoderato lenticulæ, aut aquæ usu deliquerunt.

## C A P. XXXII.

*Illecebra odorum se non nimis tangi, sæpe tamen occultos affectus per experientiam manifestari.*

1. **D**E illecebra odorum, non fatago nimis. Cum absunt, non requiro: cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere. Ita mihi videor; forsitan fallor. Sunt enim & istæ plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea, quæ in me est: ut animus meus de viribus suis ipse se interrogans, non facile sibi credendum existimet: quia & quod nunc inest, plerunque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita, quæ
- Job. 1, 1. *tota tentatio nominatur: utrum qui fieri potuit*

tuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Vna spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua.

## V S V S.

Verissimum est, quod S. D. hic deplorat, neminem sibi facile credere debere, sæpe enim latet occultum vitium, quod experientia manifestat. Multi se sobrios, patientes, humiles putant, qui, ubi occasio adest, intemperantissimi, furiosi, superbi deprehenduntur.

## C A P. XXXIII.

*Sacras melodias in Ecclesia potius approbandas quam improbandas, se tamen pœnaliter peccare, quoties magis cantu mouetur, quam re, qua canitur.*

1. **V**oluptates aurium tenacius me implicauerant, & subjugauerant; sed resolvisti, & liberaisti me. Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi & artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum acquiesco: non quidem ut hæream, sed ut surgam, cum volo. Attamen, cum ipsis sententiis, quibus vivunt, ut admittantur ad me, quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tribuere quam decet, cum ipsis sanctis dictis, religiosius & ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur: & omnes affectus spiritus nostri, pro sui diversitate, habere proprios modos in voce atque cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur.

2. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, sæpe me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior: sed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio. Aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderatus cavens, erro nimia severitate, sed valde interdum; ut melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius ecclesiæ. Tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio, sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis, faciebat, sonare lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.

3. Veruntamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur (cum liquida voce & convenientissima modulatione cantantur) magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisq; adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in ecclesia: ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen, cum mihi accidit, ut me amplius cantus quam res quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor; & tunc mallem non audire cantantem. Ecce ubi sum! Flete mecum, & pro me flete, qui aliquid  
boni

boni vobiscum intus agitis, unde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc movent. Tu autem Domine Deus meus, respice, exaudi, & vide, & miserere, & sana me: in cuius oculis mihi quæstio factus sum, & ipse est languor meus.

## N O T Æ.

Apparet incredibilis puritas S. D. qua conscientiam ab omni etiam levi peccato, quale esse potest, delectari liberius cantu Ecclesiastico, mundam servare studuit. Quod ipsius exemplum movere saltem nos debet, ad cantus leviores ab Ecclesia arcendos, & omne petulantia genus in templo vitandum.

## C A P. XXXIV.

*Se crebro implicari seductionibus oculorum, in luce Solis, & rebus pulchris ac artificiosis, cum ad pulchritudinem divinam unice sit aspirandum.*

1. **R**estat voluptas oculorum istorum carnis meæ, de qua loquor confessiones, quas audiant aures templi tui, aures fraternæ ac piæ, ut concludamus tentationes concupiscentiæ carnis: quæ me adhuc <sup>2 Cor. 5.</sup> <sub>2.</sub> pulsant ingemiscentem, & habitaculum meum, quod de cælo est, superindui cupientem. Pulchras formas & varias, nitidos & amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam; teneat eam Deus, <sup>Gen. 13, 17</sup> qui hæc fecit, bona quidem valde, sed ipse est bonum meum, non hæc. Et tangunt



me vigilantem totis diebus, nec requies ab eis datur mihi sicut datur à vocibus canoris aliquando ab omnibus in silentio. Ipsa enim regina colorum lux ista, perfundens cuncta quæ cernimus, ubi per diem fuero, multimodo allapsu blanditur mihi aliud agenti, & eam non advertenti. Insinuat autem se vehementer, ut si repente subtrahatur, cum desiderio requiratur: & a si diu absit, contristat animum. O lux, quam videbat Tobias, cum clausis oculis istis, filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede caritatis, nusquam errans! Aut quam videbat Isaac, prægravatis & operis senectute carneis luminibus, cum filios non agnoscendo benediceret, sed benedicendo agnoscere meruit! Aut quam videbat Iacob, cum & ipse prægrandi ætate captus oculis, in filiis præsignata futuri populi genera, luminoso corde radiavit: & nepotibus suis ex Ioseph, b divexas mystice manus, non sicut pater eorum foris corripibat, sed sicut ipse intus discernebat, imposuit. Ipsa est lux, una est, & alia non est, & unum omnes, qui vident & amant eam. At ista corporalis, de qua loquebar, illecebrosa ac periculosa dulcedine, condit vitam seculi cæcis amatoribus. Qui autem de ipsa laudare te norunt, Deus creator omnium, absumunt eam in hymno tuo, non assumuntur ab ea, in somno suo. Sic esse cupio.

3. Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. Tu sub-

Tob. 4.

Gen. 27.  
28. & 40.Gen. 48.  
13.

subinde evellis eos, nam illaqueantur. Tu non cessas evellere, ego autem crebro hæreo, ubique sparsis insidiis; quoniam *non dormies, neque dormitabis, qui custodis Israel.* Quam innumerabilia variis artibus & opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, & hujusmodi fabricationibus, picturis etiam, diversisque figmentis: atque his usum necessarium atque moderatum, & piam significationem longe transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum! c foras sequentes, quod faciunt; intus relinquentes, à quo facti sunt; & exterminantes, quod facti sunt.

4. At ego Deus meus & decus meum, etiam hinc tibi dico hymnum, & sacrificio laudem sanctificatori meo; quoniam pulchra trajecta per animas in manus artificiosas, ab illa pulchritudine veniunt, quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte. Sed pulchritudinū exteriorum operatores, & sectatores inde trahunt approbandi modum, non autem inde trahunt utendi modum. Et ibi est, & non vident eum, ut non eant longius, & *fortitudinem suam ad te custodiant,* nec eam spargant in delitiosas lassitudines. Ego autem hæc loquens atque discernens, etiam istis pulchris gressum innecto. Sed tu evellis Domine, evellis tu, quoniam *miseriordia tua ante oculos meos est.* Nam ego capior miserabiliter, & tu evellis misericorditer, aliquando non sentientem, quia suspensus incideram; aliquando cum dolore, quia jam inhæseram.

## N O T Æ.

- a *Et si diu absit, contristat animum*) hinc cæci qui omni lucis usu carent, miseri judicantur, ipseque patientissimus Tobias, *quale gaudium, inquit, mihi erit, qui in tenebris sedeo; & lumen cali non video?*
- Tob. 5,  
12.
- Gen. 48. b *Divexas mystice manus*) Ioseph Iacob patri, filios benedicendos offerens, Manassen majorem natu statuit ad dexteram patris, Ephraim juniorem ad sinistram. Sed Iacob commutans manus decussatim, dextram posuit supra Ephraim, sinistram supra Manassen, etsi renitente patre. Vidit nimirum Iacob lumine prophetico illustratus, Deum velle minorem majori præponere.
- c *Foras sequentes, quod faciunt*) dum delectantur opificiis & artificiis suis, intus relinquentes Deum, à quo facti sunt, & exterminantes in se imaginem illius, secundum quam facti sunt.

## V S V S.

1. Insigne exemplum præluceat S. D. ad custodiam oculorum; nimirum pulchritudine Dei captus, pulchritudinem creaturarum non æstimat, nec sectatur.
2. Docet, quomodo à luce corporea assurgere debeamus ad lucem incorpoream, & longe majoris facere quam illam: item ex artificiis hominum, ascendere ad artificem ipsorum artificum Deum.
3. Monet ipsos artifices, ut non solum opera sua artificiose, prælucente divina Sapiencia elaborent, verum & modum recte utendi arte sua, eadem Sapiencia duce, addiscant.

C A P.

## CAP. XXXV.

*Curiositatem nostram, quam per concupiscentiam oculorum intelligi putat, in multis minutissimis rebus, quotidie tentari & labi, & hinc orationes saepe interrumpi.*

I. **H**Uc accedit alia forma tentationis multiplicius periculosa. Præter eam enim concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum & voluptatum, cui seruietes depereunt, qui longe se faciunt à te: inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed *a* experiendi per carnem, vana & curiosa cupiditas, nomine cognitionis & scientiæ palliata. Quæ quoniam & in appetitum noscendi est, oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus principes, *concupiscentia oculorum* eloquio divino appellata est. Ad oculos enim proprie, videre 1 Ioan. 2, 16. pertinet. *b* Utimur autem hoc verbo etiam in cæteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus, audi, quam rutillet, aut olfac, quam nitent, aut gusta, quam splendeat, aut palpa, quam fulgeat. Videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non solum, vide, quid luceat, quod soli oculi sentire possunt; sed vide etiam, quid sonet; vide, quid oleat; vide quid sapiat, vide, quam durum sit. Ideoque generalis experientia sensuum, concupiscentia (sicut dictum est) oculorum vocatur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri

sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant.

2. Ex hoc autem evidentius discernitur, quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus. Quod voluptas pulchra, canora, sua-  
via, sapida, lenia sectatur. *c* Curiositas autem etiam his contraria, tentandi causa: non ad subeundam molestiam, sed ad experiendi noscendique libidinem. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere, quod exhorreas? & tamen sicubi jaceat, concurrunt, ut contristentur, ut palleant. Timent etiam, ne in somnis hoc videant, quasi quisquam eos vigilantes videre coegerit, aut pulchritudinis ulla fama persuaserit. Ita & ceteris sensibus, quæ persequi longum est. Ex hoc morbo cupiditatis, in spectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perscrutanda naturæ secreta, quæ præter nos est operata, proceditur: quæ scire nihil prodest, & nihil aliud quam scire homines cupiunt. Hinc etiam, si quid eodem perversæ scientiæ sine, *d* per artes magicas quaritur. Hinc etiam in ipsa religione *e* Deus tentatur, cum signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.

3. In hac tam immensa silva plena insidiarum & periculorum, ecce quam multa præciderim, & à meo corde dispulerim, sicuti donasti me facere Deus salutis meæ! At tamen quando audeo dicere, cum circumquaq; quotidianam vitam nostrā, tam multa hujus generis rerū circumstrepant: quando audeo dicere, nulla re tali me intentum fieri ad spectandum, & vana cura capi-

pien-

piendum? Sane me jam theatra non rapiunt, nec curo nosse transitus siderum; nec anima mea unquam responsa quæsiuit umbrarum; omnia sacrilega sacramenta detestor. A te Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, ut signum aliquod petam!

4. Sed obsecro te per Regem nostrum, & patriam Hierusalem, simplicem, castam, ut quemadmodum à me longe est ista confessio, ita sit semper longe atque longius. Pro salute autem cuiusquam cum te rogo, alius multum differens finis est intentionis meæ: & te facientem quod vis, das mihi, & dabis libenter sequi. Veruntamen inquam multiminutissimis & contemptibilibus rebus, curiositas quotidie nostra tentatur, & quam sæpe labamur, quis enumerat? Quoties narrantes inania, primo quasi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter advertimus? Canem currentem post leporem jam non specto, cum in circo sit: at vero in agro si casu transeam, avertit me fortassis, & ab aliqua magna cogitatione, atque ad se convertit illa venatio: non deviare cogens corpore jumentum, sed cordis inclinatione. Et nisi jam mihi demonstrata infirmitate mea, cito admoneas, aut ex ipsa visione, per aliquam considerationem in te assurgere: aut totum contemnerem, atque transire, vanus hebesco.

5. Quid cum me domi sedentem stellio muscas captans, vel aranea retibus suis irrudentes implicans, sæpe intentum facit? Num quia

quia parva sunt animalia, ideo non res eadem geritur? Pergo inde ad laudandum te creatorem mirificum, atque ordinatorem rerum omnium, sed non inde intentus esse incipio. *f* Aliud est cito surgere, aliud est non cadere. Et talibus vita mea plena est, & una spes mea in magna valde misericordia tua. Cum enim huiusmodi rerum conceptaculum fit cor nostrum, & portat copiosæ vanitatis catervas; hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur atque turbantur, & ante conspectum tuum, dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus, res tanta præciditur.

## N O T Æ.

- a *Experiendi per carnem vana & curiosa cupiditas*) Alii per concupiscentiam oculorum avaritiam intelligunt. S. D. curiositatem sive inordinatum quascunque res cognoscendi desiderium designari existimat, non improbabiler. Optime S. Thomas ait, intelligi tum *Concupiscentiam inordinatam cognitionis*, tum *ipsarum rerum, quæ exterius oculis proponuntur.*
- b *Vitimur hoc verbo etiam in cæteris sensibus*) quia nempe, videre, generaliter sumptum idem est, quod cognoscere: omnis autem sensus est cognoscitivus, quam doctrinam alibi quoque S. D. tradit.
- c *Curiositas autem etiam his contraria, &c.*) clare explicat, quomodo differat concupiscentia carnis, complectens delectationes omnes sensuum, ab hac curiositate, quæ non solum pulchra & suavia, verum & deformia & acerba cognoscere appetit.
- d *Per artes magicas*) in has multi propter curiositatem incidunt, quod S. D. alibi quoque monet, & consentit Delrius, qui salutaria monita habet.
- e *Deus tentatur*) flagitare signa & prodigia ad explorandam divinam sapientiam, potentiam, bonitatem,

1, 2. q. 77.  
a. 5.

Serm. 33.  
de verbis  
Domini.  
lib. 2. de  
doct.  
Christ. c.  
22, & 23.  
l. 3. disq.  
magic. p.  
1. q. 8. &  
l. 6. in an.  
monit. 7.  
V. S. Th.  
22. q. 97.  
a. 2.

nitatem, est tentare Deum, & peccatum : quia impium est dubitare de his, quæ ad divinam perfectionem pertinent. Rogare vero pro salute alterius divinitus restituenda, aut Dei gloriæ aliis manifestanda per aliquod prodigium, non est peccatum, idque sancti frequenter fecerunt. Ipse S. D. se Innocentio viro illustri, à quo post Baptismum Carthaginem reversus hospitio susceptus est, precibus ad Deum fuis una cum sociis, sanitatem impetrasse affirmat.

f *Aliud est cito surgere, aliud non cadere*) cum quis sua culpa, per curiositatem distrahitur, reus est, etsi diu non hæreat, non enim ideo non cecidit, quia cito surrexit.

lib. 22 de  
civ. c. 3.

V S V S.

1. Discamus S. D. Magistro, Curiositatis pericula & laqueos agnoscere ac vitare.
2. Si orationem ab alienis cogitationibus quietam desideramus, concupiscentiam oculorum refrænemus; effusio in exteriora, rerumque vanarum notitia, sunt distractionum nostrarum semina.

C A P. XXXVI.

*Dum necessarium est amari & timeri ab hominibus, facile persuadet superbia, ut velimus amari & timeri non propter Deum, sed pro Deo, quo vituperante laus nulla prodest.*

1. **N**Vnquid etiam hoc inter contemnenda deputabam, aut aliquid nos reducet in spem, nisi tota misericordia tua, quoniam cœpisti mutare nos? Et tu scis, quanta ex parte mutaveris, qui me primitus sanas à libidine vindicandi me, ut propitius fias etiam cæteris omnibus iniquitatibus meis, & sanes omnes languores meos, & redimas  
de



Pfal. 102,  
3.

de corruptione vitam meam, & coronas me in  
miseratione & misericordia, & saties in bonis de-  
siderium meum: quia compressisti à timore  
tuo superbiam meam, & mansuefecisti iugo  
tuo cervicem meam. Et nunc porto illud,  
& leve est mihi; quoniam sic promisisti, &  
fecisti, & vere sic erat, & nesciebam, quan-  
do id subire metuebam.

Iac. 4, 6.

2. Sed nunquid Domine, qui solus sine  
typho dominaris, quia solus verus dominus  
es, qui non habes dominum, nunquid hoc  
quoque tertium tentationis genus cessavit à  
me, aut cessare in hac tota vita potest time-  
ri & amari velle ab hominibus, non propter  
aliud, sed ut inde sit gaudium, quod non est  
gaudium? Misera vita est, & foeda jactan-  
tia. Hinc fit, vel maxime non amare te, nec  
caste timere te. Ideoque *tu superbis resistis, hu-  
milibus autem das gratiam*, & intonas super am-  
bitiones seculi, & contremiscunt funda-  
menta montium. Itaque nobis, quoniam  
propter quaedam humanæ societatis officia,  
necessarium est amari ab hominibus, instat  
adversarius veræ beatitudinis nostræ, ubi-  
que spargens in laqueis, euge, euge: ut dum  
avide colligimus, incaute capiamur, & à ve-  
ritate tua gaudium nostrum deponamus, at-  
que in hominum fallacia ponamus: libeat-  
que nos amari & timeri, non propter te, sed  
pro te; atque isto modo sui similes factos  
secum habeat, non ad concordiam carita-  
tis, sed ad confortium supplicii, qui statuit  
*sedem suam bponere in aquilone*, ut te perversa  
& distorta via imitantes, tenebrofi frigidive  
servirent.

Esaï. 14,  
13.

3. Nos autem Domine, pusillus grex tuus  
ecce

ecce sumus, tu nos posside. Prætende alas tuas, & fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto, propter te amemur, & verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Cum autem non peccator laudatur, in desideriiis animæ suæ, nec qui iniqua gerit, benedicitur: sed laudatur homo propter aliquod bonum, quod dedisti ei: at ille plus gaudet sibi laudari se, quàm ipsum donum habere, unde laudatur: etiam iste, te vituperante laudatur. Et melior jam ille, qui laudavit; quam iste, qui laudatus est. Illi enim placuit in homine donum Dei, huic amplius placuit donum hominis, quam Dei.

## N O T Æ.

- a *A libidine vindicandi me*) æquissimo animo S. D. injurias tolerasse scribit Lancillotus. Argumento est, quod pro Donatistis, qui necem ipsi mortali erant, intercessit apud Proconsulem Donatum. *Et loquere, & senti*, ait, *quidquid libet de Augustino, sola me in oculis Dei, conscientia non accuset*: non sane æstimans ullas injurias. Unde Deus propitius factus est omnibus iniquitatibus ejus, nam qui dimittit debitoribus suis, ei dimittuntur debita omnia. l. 3. vit. c. 52.
- b *Ponere in Aquilone*) Aquilo ventus septentrionalis frigidus & siccus, pro ipso septentrione ponitur, ubi meræ tenebræ & frigus; unde ad significandum regnum tenebrarum transfertur, ejusque Principem Diabolum, cui superbi in cæcitate mentis, sine calore caritatis miserabiliter serviunt. ep. 127. l. contra Secund. Manich. c. 1.

## V S V S.

- I. Necessaria sunt, iis qui Ecclesiæ & Reipublicæ præsent, timor, amor, honor, laus: absque his enim contemnantur, nec subditos recte moderari possunt. Hoc ergo laborent, ne *Euge illud honoris,*

*honoris*, ipsos in vanam complacentiam præcipitet, similesque fiant regi filiorum superbiæ.

2. Qui laudes affectat humanas, conscius se Deo non placere, meminerit illius quod S. D. suggerit, se ejusmodi laudibus non defensum iri in judicio, nec liberandum à damnatione.
3. Dona Dei per complacentiam & acceptationem humanæ laudis, vertuntur in damnum nostrum, unde apparet, quantum cavendum sit ab hac peste.

## C A P. XXXVII.

*Cum non liceat mala agere, ut laudari non possimus, se hoc solum confiteri posse, quod delectetur laudibus, sed plus veritate, quam laudibus.*

1. **T**entamur his tentationibus quotidie Domine, sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra, est humana lingua. Imperas nobis & in hoc genere continentiam: Da quod jubes, & jube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo, quam sim ab ista peste mundatior, & multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscunque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc pene nulla est. Nam & à voluptatibus carnis, & à curiositate supervacanea cognoscendi, video quantum affectus sim, posse refranare animum meum, cum eis rebus careo, vel voluntate, cum adsunt; vel necessitate, cum desunt. Tunc enim me interrogo, quam magis minusve mihi molestum sit non habere? Divitiæ vero, quæ ob hoc expetun-

petuntur, ut alicui istarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus seruiant; si persentiscere non potest animus, utrum eas habens contemnat, possunt & dimitti, ut se probet.

5. Laude vero ut careamus, atque in eo experiamur, quid possimus; nunquid male vivendum est, & tam perditæ atque immaniter, ut nemo nos noverit, qui non detestetur? Quæ major dementia dici, aut cogitari potest? At si bonæ vitæ bonorumque operum comes & solet & debet esse laudatio, tam comitatum ejus, quam ipsam bonam vitam deserere non oportet. Non autem sentio, sine quo esse, aut æquo animo, aut ægre possim, nisi cum abfuerit. Quid igitur tibi in hoc genere tentationis Domine confiteor? Quid? nisi delectari me laudibus; sed amplius ipsa veritate, quam laudibus. Nam si mihi proponatur, utrum malim furens, aut in omnibus rebus errans, ab omnibus hominibus laudari; an constans & in veritate certissimus, ab omnibus vituperari? video quid eligam.

3. Veruntamen nollem, ut vel auget mihi gaudium cujuslibet boni mei, suffragatio oris alieni. Sed auget fateor, non solum, sed & vituperatio minuit. Et cum ista miseria mea perturbor, subintrat mihi excusatio, quæ qualis sit, tu scis Deus, nam me incertum facit. Quia enim nobis imperasti non tantum continentiam, id est, à quibus rebus amorem cohibeamus, verum etiam justitiam, id est, quo eum conferamus: nec te tantum voluisti à nobis, verum etiam proximum diligere, sæpe mihi videor de profectu

ctu

tu aut spe proximi delectari, cum bene intelligentis laude delector: & rursus ejus malo contristari, cum eum audio vituperare, quod aut ignorat, aut bonum est. Nam & contristor aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus mihi ipse displiceo: vel etiam bona minora & levia pluris æstimantur, quam æstimanda sint.

4. Sed rursus unde scio, an propterea sic afficior, quia nolo de me ipso à me dissentire laudatorem meum; non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona, quæ mihi in me placent, jucundiora mihi sunt, cum & alteri placent? Quodammodo enim non ego laudor, cum de me sententia mea nō laudatur; quandoquidem aut illa laudantur, quæ mihi displicent: aut illa amplius, quæ mihi minus placent. Ergone de hoc incertus sum mei? Ecce in te veritas video, non me laudibus meis propter me, sed propter proximi utilitatem moveri oportere. Et utrum ita sit, nescio. Minus mihi in hac re notus sum ipse, quam tibi.

5. Obsecro te Deus meus, & me ipsum mihi indica, ut confitear oraturis pro me fratribus meis quod in me faucium comperero. Iterum me diligentius interrogem: Si utilitate proximi moveor in laudibus meis, cur minus moveor, si quisquam alius injuste vituperetur, quam si ego? Cur ea contumelia magis mordeor, quæ in me, quam quæ in alium eadem iniquitate coram me jacitur? An & ego hoc nescio? Etiam ne id restat, ut ipse me seducam, & verum non faciam coram te in corde & lingua mea? Infaniam istam Domine longe fac à me, ne

*oleum*

oleum peccatoris mihi sit os meum, ad impinguandum Pfal. 140,  
 caput meum. Egenus & pauper ego sum; & melior 5.  
 in occulto gemitu displicens mihi, & quæ Pfal. 108,  
 rens misericordiam tuam, donec reficiatur 2.  
 defectus meus, & perficiatur usque in pa-  
 cem, quam nescit arrogantis oculus.

## V S V S.

1. Quotidiana & nunquam interrupta superbix infestatio ad ingens humilitatis desiderium ac studium nos movere debet, tanto magis, quanto certius scimus, nos non posse intrare in regnum cælorum, nisi efficiamur ut parvuli.
2. Non est fugienda laus, faciendo vituperio digna, sed cum S. Augustino conandum est. I. Ut plus delectemur veritate quam laudibus, facturi laude digna, etsi nemo nos laudaret. II. Cum perturbamur defectu laudis, aut titillamur ejus suffragio, pro viribus ejusmodi Vanitas reprimenda est. III. Eo eniti debemus, ut ob solam Dei gloriam delectemur, laudibus tum propriis, tum alienis. Gravis hæc & difficilis est pugna, sed si perseveremus orando & pugnando, vincemus cum S. Augustino, qui in suis libris nihil magis docet, quam humilitatem, Doctor tanto major, quanto humilior.

## C A P. XXXVIII.

*In iis, quæ coram aliis fiunt, etiam in ipso contemptu laudis, esse periculum vanæ gloriæ.*

1. **S**ermo autem ore procedens, & facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahit, & emendicata suffragia tentat; & cum à me in me arguitur, eo ipso quo arguitur. Et sæpe homo de ipso vanæ glo-

gloriæ contemptu vanius gloriatur: ideoque, non jam de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cum gloriatur intus.

## V S V S.

Ingens hoc ipsum humilitatis incitamentum est, se tam miserum agnoscere, ut contemptum laudis in superbiam, id est, pharmacum in venenum vertat, nisi cælestis medicus tumorem nostrum fanet.

## C A P. XXXIX.

*Timere se id quoque tentationis genus, quo aliqui placent sibi de se, nec placere affectant cæteris, sed invident.*

I. **E** Tiam intus est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescent, qui placent sibi de se, quamvis aliis vel placeant, vel displiceant, nec placere affectant cæteris. Sed sibi placentes, multum tibi displicent, non tantum de non bonis quasi bonis, verum etiam de bonis tuis, quasi suis: aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis: aut etiam sicut ex tua gratia, sed non secundum sua merita, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes eam. In his omnibus atque hujuscemodi periculis & laboribus, vides tremorem cordis mei: sed & vulnera mea magis subinde à te sanari, quam mihi non infligi sentio.

## V S V S.

Remedia adversus tam multiplices superbix tentationes passim in libris spiritualibus ad manum sunt. Præ reliquis egregie de humilitate scripsit  
*Jacobus*

*Jacobus Alvarez tractatu absolutissimo, ubi omnes Superbiæ fraudes ejusque remedia aperit, multaque egregia ex S. D. nostro accumulât. Cum quo vigilandum est in assiduo cordis tremore, & gratiæ Deo agendæ, qui vulnera superbarum cogitationum, quæ nobis non sentientibus sæpe subrepunt, sanat bonis inspirationibus: ostendens nobis occultis modis vanitatem nostram, & veritatem suam.*

## CAP. XL.

*Se Deo ducente ac docente perlustrasse omnia, extra & intra se, & horum nihil esse Deum; in eo se, cum potest, delectari, & subinde in affectum inusitatum introritti.*

1. **V**Bi non mecum ambulasti veritas, docens quid caveam, & quid appetam, cum ad te referrem inferiora visa mea, quæ potui, teque consulerem? Lustravi mundum foris sensu, quo potui: & attendi vitam corporis mei de me, sensusque ipsos meos. Inde ingressus sum in recessus memoriæ meæ multiplices amplitudines, plenas miris modiscopiarum innumerabilium, & consideravi, & expavi, & nihil eorum discernere potui sine te, & nihil eorum esse te inveni. Nec ego ipse inventor, qui peragravi omnia, & distinguere & pro suis quæque dignitatibus æstimare conatus sum, excipiens alia nunciantibus sensibus, & interrogans, alia mecum commixta sentiens, ipsosque nuncios dinoscens atque dinumerans, jamque in memoria elatis opibus alia pertractans, alia recondens, alia eruens.

2. Nec



2. Nec ego ipse, cum hæc agerem, id est, vis mea, qua id agebam, nec ipsa eras tu, quia lux es tu permanens, quam de omnibus consulebam, an essent, quid essent, quanti pendenda essent? Et audiebam docentem ac iubentem, & sæpe istud facio. Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio. Neque in his omnibus, quæ percurro consulens te, invenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te quicquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc arumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina digna est: Hic esse valeo, nec volo: illic volo, nec valeo, miser utrobique.

## V S V S.

1. Omnem veritatis, virtutum, vitiorum cognitionem S. D. in meditatione adeptus est: ibi Deum consulit, an, quid, & quanti pendendæ sint omnes creaturæ? inde lux divina affulsit, monstravitque facienda & omittenda. Imitemur S. D. certi nos parum in Spiritu profecturos, nisi multum res divinas meditemur. S. D. fatetur se omne tempus à necessariis occupationibus vacuum, deliciis contemplationis ac meditationis impendisse. Impendamus nos tantum, quantum officii ac instituti ratio postulat.
2. Largitur Deus electis suis in meditatione non raro quandam præ gustum, & veluti promulsi-dem æternæ beatitudinis, ut exclamare cogantur: *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine?*  
sed

sed bene S. Bernardus, *in his parva morula*, redire coguntur ad solita vitæ munia, deprimente necessitate & consuetudine, quod hic deplorat S. D.

## CAP. XLI.

*Confessum se languores suos, Deumque invocasse, quem amiserat, quia volebat eum possidere cum mendacio.*

I. Deoque consideravi languores peccatorum meorum, *a* in cupiditate triplici: & dexteram tuam invocavi, ad salutem meam. Vidi enim splendorem tuum corde saucio, & percussus dixi: Quis illuc potest? *Projectus sum à facie oculorum tuorum.* Tu <sup>Psal. 30,</sup> <sup>23.</sup> es veritas super omnia præsidens. At ego per avaritiam meam *b* non amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium; sicut nemo vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse, quid verum sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri.

## NOTÆ.

*a* *In cupiditate triplici*) carnis, oculorum, superbiæ, <sup>1. Ioan. 2,</sup> <sup>16,</sup> de qua S. Ioan. cuius impulsu homo peccat, dum triplex bonum inordinate appetit. I. Quod re ipsa in ipso recipitur, ut voluptas cibi, potus, Veneris. II. Quod per inanes tantum species seu apprehensionem, & curiositate ac varietate delectat. III. Quod totum extra ipsum est, ut honor, laus, gloria. I. Est concupiscentia carnis. II. Concupiscentia oculorum. III. Superbia vitæ.

*b* *Non amittere te volui*) Nemo quantumvis impius Deum vult amittere, quem novit esse summum bonum. Quod omnes necessario appetunt, etsi media difficilia ad illud assequendum necessaria, multi repudient.

T V S V S.

## V S V S.

1. Mirabilis fuit S. D. conversio, qui ex gravissimis vitiis luxuriæ, superbiæ, vanitatis, ita integre emerfit, ut non nisi pauculæ & vix culpabiles imperfectiones in ipso permanserint. Vbi nos hæremus? Sequamur, aut saltem sequi desideremus. Augustinus castus, humilis, seculi contemptor esse cœpit, & constanter permansit. Inspice & fac secundum exemplar conversionis ejus, qui peccasti secundum exemplum illius.
2. Non dignatur Deus cum mendacio possideri; hoc totum impedimentum conversionis & profectus nostri est, quia volumus in Deo & simul in creaturis delectari, & mentimur nobis ipsis, id posse fieri.

## C A P. XLII.

*Quosdam quasi vixisse reconciliationem cum Deo per Angelos, & illusos à Damone, qui est mediator fallax.*

1. **Q**uem invenirem, qui me reconciliaret tibi? An obeundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per se ipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc: & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, exerentes potius quam tundentes pectora: & adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui, conspirantes & socias superbiæ suæ potestates aëris hujus, quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat, transfigurans se in angelum lucis.

Ephes. 2.  
2.

2. Et

2. Et multum illexit superbam carnem, quod carneo corpore ipse non esset. Erant enim illi mortales & peccatores: Tu autem Domine, cui reconciliari superbe quærebant, immortalis & sine peccato. *Mediator* <sup>1 Tim. 5.</sup> autem *inter Deum & homines*, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; ne in utroque hominibus similis, longe esset à Deo: aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. Fallax itaque ille mediator, quo per secreta iudicia tua, superbia meretur illudi, unum cum hominibus habet, id est peccatum; aliud videri vult habere cum Deo, ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortalis se ostendet. Sed <sup>Rom. 6.</sup> quia *stipendium peccati mors est*, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnatur in mortem. <sup>23.</sup>

## NOTÆ.

- a *Multi conantes redire ad te, &c.*) videtur significare aliquos superbia & curiositate seductos, dum divinas visiones & revelationes quærunt, incidisse in Diabolicas illusiones, deceptos à Dæmone transfigurante se in Angelum lucis.
- b *Mediator autem &c.*) Dæmon cum Deo communem ostendat immortalitatem, sed cum hominibus simile nihil habet nisi peccatum, & peccati supplicium. Quare non potest esse verus mediator, nec expiare peccatum, cum sit ipse peccator.

## CAP. XLIII.

*Verax mediator Christus est, in illo se jactasse curam suam, cum meditaretur solitudinem, & considerasse sanguinem ejus, pretium suum.*

1. **V**erax autem mediator, quem secreta tua misericordia demonstraſti humilibus, & miſiſti, ut ejus exemplo etiam ipsam diſcerent humilitatem, mediator ille Dei & hominum, homo Christus Iesus, inter mortales peccatores & immortalem justum apparuit, mortalis cum hominibus, justus cum Deo. Ut quoniam stipendium justitiæ, vita & pax est, per justitiam conjunctam Deo, evacuaret mortem justitiorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Hic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futura passionis ejus, sicut nos per fidem præterita, salvi fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator, in quantum autem Verbum, non medius quia æqualis Deo: & Deus apud Deum, simul cum Spiritu sancto unus Deus.

2. *Quomodo nos amasti pater bone, qui filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum! Quomodo nos amasti? pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus est esse æqualis tibi, factus est subditus usque ad mortem, mortem autem crucis, unus ille in mortuis liber, potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens iterum sumendi eam; pro nobis tibi victor & victima, & ideo victor, quia*

Rom. 8,  
32.

Phil. 2, 6.

Psal. 87, 6.

Ioan. 10,  
48.

quia victima ; pro nobis tibi sacerdos & sacrificium , & ideo sacerdos , quia sacrificium ; faciens tibi nos de servis filios , de te nascendo , nobis seruiendo. Merito mihi spes valida in illo est, quod *sanabis* <sup>Pfal. 103, 3.</sup> *omnes languores meos* per eum , qui sedet ad dexteram tuam , & te *interpellat pro nobis* , alioquin desperarem. Multi enim & magni <sup>Rom. 8, 34.</sup> sunt iidem languores mei ; multi sunt & magni , sed amplior est medicina tua. Potuimus putare Verbum tuum remotum esse à conjunctione hominis , & desperare de nobis : nisi caro fieret , & habitaret in nobis.

3. Conterritus peccatis meis & mole miseriæ meæ , agitaveram in corde , meditatufque fueram fugam in solitudinem. Sed prohibuisti mihi , & confirmaisti me, dicens: <sup>2 Cor. 5, 14.</sup> *ideo pro omnibus Christus mortuus est , ut qui vivunt , jam non sibi vivant , sed ei , qui pro ipsis mortuus est.* Ecce Domine jacto in te curam meam , ut vivam , & *considerabo mirabilia de* <sup>Pfal. 118, 18.</sup> *lege tua.* Tu scis imperitiam meam , & infirmitatem meam , doce me , & sana me. Ille tuus unicus : <sup>Col. 2, 3.</sup> *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi , redemit me sanguine suo.* Non calumnientur mihi superbi : <sup>Pfal. 11, 8.</sup> *quoniam cogito precium meum , & manduco , & bibo , & erogo : & pauper cupio saturari ex eo , inter illos , qui edunt & sa-* <sup>Pfal. 27, 27.</sup> *turantur , & laudabunt Dominum , qui requirunt eum.*

## N O T Æ.

1. *In quantum enim homo, in tantum mediator*) sic enim medius est inter Deum & hominem, similis Deo per divinitatem & justitiam, similis nobis per humanam naturam.
- Pfal. 87.8. 2. *Inter mortuos liber*) aliis enim hominibus imposita est necessitas moriendi, Christus libere illam subiit, *habens potestatem ponendi animam suam in cruce, & iterum sumendi in resurrectione.*
- Ioan. 10. 3. *Ideo Victor, quia victima*) ideo enim vicit Diabolum, quia in ara crucis cruentum sacrificium pro nobis obtulit.
4. *Ideo Sacerdos, quia sacrificium*) nullum enim aliud sacrificium obtulit, aut instituit præter seipsum; nec ad aliud à Deo patre constitutus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quam ut pro nobis offerret seipsum, & daret animam suam redemptionem pro multis.
5. *De te nascendo, nobis serviendo*) ex altero enim ut Deus, potuit afferre condignum pretium redemptionis, ex isto ut homo, potuit peragere opus redemptionis nostræ.
5. *Cogito pretium meum*) sanguinem Christi, (& *manduco, & bibo*) in Missæ sacrificio (& *erogo*) distribuens Eucharistiam communicantibus.

## V S V S.

1. Etsi peccatorum magnitudo incitaret ad grandem poenitentiam & vitam solitariam S. Augustinum, vocavit tamen illum Deus ad regimen animarum, ut innumeras ex luto hæresis & scelerum extraheret, in quo ipse hæserat. Paruit ille, & maluit Christo vivere, ac minister redemptionis ejus effici, quam vivere sibi soli. Quam in re illustre exemplum dedit, etiam in vita communi & officiis Ecclesiasticis, prioris vitæ delicta, caritate Dei ac proximi posse expiari.
2. Videtur vero S. D. ad perfectionem, quam in illo veneratur orbis, triplici maxime medio pervenisse, ut hic insinuat. I. Iactando omnem curam ac fiduciam in Deo, & meritis Christi. II. Considerando mirabilia de lege divina per  
fre.

frequentem meditationem. III. Crebra & haud dubie quotidiana Sacrificii Missæ celebratione, in quo pretium suum manducabat, & bibebat ipse, & aliis sæpe erogabat. Ex hoc triplici fonte manavit ingens Mortificationis studium, quo triplicem concupiscentiam edomuit, illustrique exemplo ad sui imitationem omnes confessionum suarum lectores invitavit. Vt qui imitamur peccantem, imitemur & pœnitentem, totoque corde ad Deum se convertentem.

*Soli Deo Gloria.*



T 4      I N-